

**INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE**

---

**E L E M E N T A  
AD FONTIUM EDITIONES  
LXI**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO  
AD POLONIAM SPECTANTIA  
XXIX PARS**

**Ostpr. Fol., vol. 44, 52, 53, 1545-1546**

**ediderunt**

**CAROLINA LANCKOROŃSKA et LUCIANUS OLECH**



**NON EXSTINGUETUR**

**ROMAE 1985**



# INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

---

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.  
XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.  
XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt*. Romae, 1947.  
XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectiva descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chirotypica, exhausta).
- 

ANTEMURALE, I-XXVII, Romae, 1954-1983

---

## ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).  
II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 facs 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).  
III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab. 1961.  
IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., glossarium verb. ang. ant., 1961.  
V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483, doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.  
VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc., (A.D. 1603-1629), 8 tab., glossarium verb., ang. ant., 1962.  
VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars., Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., 1962.  
VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., 1963.  
IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. Koczy, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., 1964.  
X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., 1964.  
XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214, doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., 1964.  
XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1517-1576), 5 tab., 1964.  
XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, I pars., Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., 1965.  
XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, I pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab., 1965.  
XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, IV pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1576-1587), 5 tab., 1966.  
XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, V pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1590), 5 tab., 1966.  
XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, II pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab., 1967.  
XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab., 1968.







**INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE**


**E L E M E N T A  
AD FONTIUM EDITIONES  
LXI**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO  
AD POLONIAM SPECTANTIA  
XXIX PARS**

**Ostpr. Fol., vol. 44, 52, 53, 1545-1546**

**ediderunt**

**CAROLINA LANCKOROŃSKA et LUCIANUS OLECH**



**NON EXSTINGUETUR**

**R O M A E 1 9 8 5**

SUMPTIBUS  
FUNDATIONIS  
LANCKOROŃSKI  
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:  
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE  
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

## INDEX RERUM

Introductio . . . . .	Pag.	VII
Abbrevationes . . . . .	»	VIII
Textus . . . . .	»	3
Elenchus epistularum . . . . .	»	135
Index personarum et locorum . . . . .	»	143





## INTRODUCTIO

*Volumine LXI Elementorum ad Fontium Editiones continuamus editionem epistularum Alberti in Prussia ducis, ad reges et proceres, nobiles et cives Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae annis 1545-1546 datarum, quarum exempla in copiariis Germanicis et Latinis (Ostpreussische Folianten, vol. 44, 52, 53) Archivi Regiomontani (paucos ante annos Gottinga Berolinum translati) custodiuntur; nonnulla vero documenta, in copiariis non transcrita, nonnisi in conceptis Cancellariae Ducalis conservata sunt (H B A, B, K.1166, 1167, 1168), quorum etiam in volumine nostro rationem habuimus.*

*Ad maximam earum epistularum partem brevissima tantum summaria conficienda duximus, cum in multis earum de privatis vel minoris momenti rebus sermo sit, in multis etiam eadem ac in aliis argumenta tractentur.*

*Ex 247 epistulis, illis duobus annis datis (quarum nonnisi 16 non ab ipso duce Alberto, sed a consiliariis eius missae erant), maximam partem utriusque regi Poloniae, Sigismundo I et Sigismundo Augusto, destinatae esse videmus. Ad regem enim seniore 45, ad iuniorem vero 68 epistulae datae erant. Quod alias personas attinet, ad quas litterae scribebantur, eas easdem fere esse facile conspicimus, quae ex antecedentibus annis iam nobis bene notae sunt. Itaque ad Samuelem Maciejowski 25, ad Ioannem Tarnowski 21, ad Gabrielem Tarlo 18, ad Andream a Górká 16, ad Nicolaum Radziwiłł etiam 16 epistulae datae sunt. Ex aliis, qui minore epistularum numero dignati sunt, nominandos esse putamus Iostum Ludovicum Decium, Ioannem Hlebowicz, Stanislaum Hosium, Christophorum Konarski. Aliquot epistulae datae sunt ad reginas Poloniae, Bonam et Elisabeth.*

*Nemo tamen non videt maximum sane epistularum numerum (68) ad Sigismundum Augustum, regem Poloniae iuniorem, duobus illis annis esse datum, dum duobus annis praecedentibus 19 tantum litterae ei destinatae erant. Longo enim Sigismundi I regimine iam ad finem vergente, dux Albertus maiorem semper rationem filii, cuius auctoritas et pondus in Republica in dies crescere videbatur, habere coactus est. Cum tamen avunculum suum, regem seniore, singulari procul dubio observantia et existimatione semper prosecutus est, in regem iuniorem inde ab initio alio prorsus afficiebatur animo. Iam enim aetate ipsa dux Albertus inter patrem et filium quasi in medio ponitur, cum 23 annis patre iunior, 30 filio senior sit.*

*Itaque dicere possumus ducem Albertum in aetate maiorem avunculum, quem saepe loco patris habere videbatur, magis sincero multoque candidiore fuisse animo, maiore cum familiaritate cum ipso usum esse, quam cum consobriano, qui tot annis se iunior erat. Accedit, quod iam tum non obscure apparebat non parva inter ipsos naturae, indolis, ingenii differentia, quae etiam procul dubio ad minorem inter eos animorum coniunctionem et necessitudinem non parum contulit. Quae res currentibus annis multo etiam manifestius apparebit.*

C.L.

## ABBREVIATIONES

El.	Elementa ad Fontium Editiones
M.D.L.	Magnus Ducatus Lithuaniae
R.P.	Regnum Poloniae



**TEXTUS**



# 1545

N. 2481.

*E Regio Monte, 1.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
Iacobum a Diebes, capitaneum Soldaviensem, Andream a Wilmansdorff ac  
Franciscum Thege, consiliarios suos, ad regem mittit et rogat, ut eis ple-  
nam fidem adhibeat.  
(Latine)  
(Adsunt 2 conc. Lat., alterum de l., alterum de 2.I.1545, HBA, B, K. 1167)  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 775-776.*

N. 2482.

*E Regio Monte, 1.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Bonaë reginae Poloniae  
consiliarios suos: Iacobum a Diebes, Andream a Wilmansdorff et Franciscum  
Thege, ad regem missos (cfr. N. 2481), commendat et rogat, ut eis fidem  
adhibeat.  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 776-778.*

N. 2483.

*E Regio Monte, 2.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
pro Ottone Nostitz intercedit, ut praeter priora servitia duobus adhuc equis  
regi servire possit.  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167)  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 779-780.*



N. 2484.

E Regio Monte, 2.I.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de argento suo negotiatoribus suis in castellanatu Posnaniensi erepto et non-  
dum ex toto recuperato.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 781-782.

N. 2485.

E Regio Monte, 2.I.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Elisabeth reginae Poloniae iuniori  
litterae credentiales pro Andrea Rippen, capitaneo in Kaymen, Ioanne Lohmül-  
ler, licentiato, et Petro Glogau, consule Cnipaviensi.*

(Germanice)

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 177-177v.

N. 2486.

E Regio Monte, 2.I.1545.

*Albertus dux in Prussia  
episcopo Plocensi [Samueli Maciejowski] et, mutatis mutandis, archiepiscopo  
Gnesnensi [Petro Gamrat], Ioanni Tarnowski et Stanislao Łaski,  
litterae credentiales pro consiliariis suis, Iacobo a Diebes, Andrea a Wilmansdorff  
et Francisco Thege.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 778-779.

N. 2487.

E Regio Monte, 2.I.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
pro doctore Abrahamo Culvensi intercedit et rogat, ut desolatam eius matrem  
sibi commendatam habeat.*

(Latine)

Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XIII, pp. 181-2, Altpr.  
Monatsschrift, 1905.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 782-783.

Domino Nicolao Marschalcowitz pro Doctore Abrahamo, 2 Ianuarii.  
Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Venerabilis ac doctissimus, fidelis nobis dilectus Abrahamus Culvensis Doctor, saepe apud nos non modo virtutes Magnificentiae Vestrae eximias et heroicas, sed etiam de propensa in nos voluntate ac mirifico studio praedicare solet, quantaque Magnificentiae Vestrae apud omnes sit autoritas. Quibus rebus fretus sperat se Magnificentiae Vestrae ope et opera, quod vult quodque aequum iustum est, facile obtinere posse. Cum itaque is negotia sua in Lithuania habeat, nosque illi clementer consultum cupiamus, Magnificentiam Vestram vehementer etiam atque etiam petimus, ut dicti Abrahami matrem, desertam et desolatam viduam, negotiaque sua omnia commendata sibi habere sicque dare operam velit, ut res negotiaque sua integra conservet, neque detrimenti quid inde capiat. Hoc officii Deus Magnificentiae Vestrae remuneraturus est, tum dictus Abraham in perpetuum propterea eidem erit devinctior et nos amicis studiis promerebimur. Bene feliciterque Magnificentia Vestra valeat.

Constantinus S.

N. 2488.

*E Regio Monte, 3.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*Albertum Lipski a Laster commendat, ut materna bona hereditario iure ad ipsum spectantia, in pagis Krzemienica et Lipie sita, consequi possit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 783-784.*

N. 2489.

*E Regio Monte, 3.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Paulo Naruszewicz, tenentario Kirschmemelensi (Żyżmoriensi),*

*Annam Feyerabent, civem Regiomontanam, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat. cum dato: 29.XII.1544/1.I.1545, HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 784-785.*

N. 2490.

*E Regio Monte, 10.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,*

*pro Georgio Zabłocki (Sablocio), Lithuano, intercedit.*

*Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XIV, p. 182.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 785-787.*

Domino Radivil, Marschalco Lithuaniae, X Ianuarii.

Magnifice ac Generose, Amice multis nobis nominibus dilecte.

Etsi nobis minime dubium est Magnificentiam Vestram etiam sine nostra commendatione bonis ac honestis hominibus sua ope, auxilio et auctoritate adesse solere, attamen ut intelleximus nobilem ac eruditum, sincere nobis dilectum Magistrum Georgium Sablocium, a quibusdam suis adversariis sine causa male accipi ac indigne tractari, facere non potuimus, quin ad Vestram Magnificentiam eius nomine scriberemus eumque Vestrae Magnificentiae protectioni ac patrocinio committeremus. Qui cum bonarum literarum studio suum animum excultum reddiderit atque praeter singularem morum modestiam pietatis sincere sit amantissimus, dignum eum profecto existimamus, cuius patrocinium a principibus viris suscipiatur atque contra vim iniustam et violentiam malevolorum defendatur. Proinde Vestram Magnificentiam tanto studio, ut maiori non possimus, amice ac obnixè rogamus, ea cum ipsius Magistri Georgii indigna fortuna commota, tum nostra commendatione, quam non parum ponderis apud eandem Magnificentiam Vestram habituram confidimus, adducta, eundem Magistrum Georgium nostro nomine commendatum habere inque suorum clientum numerum recipere ac contra violentiam malevolorum ac inimicorum sua auctoritate defendere, breviter talem se erga eum ostendere velit, ut is intelligat hanc nostram commendationem non vulgarem extitisse eamque illi apud Magnificentiam Vestram magno adiumento fuisse. Quae spes eum ne fallat, magnopere rogamus, idque nos erga Magnificentiam Vestram vel maiori officiorum genere amice promerebimur. Quam Christo Servatori nostro ab omni malo conservandam commendamus atque belle valere ad annos usque Nestoreos optamus. Datum Regio Monte.

Ioachimus

N. 2491.

*E Regio Monte, 13.I.1545*

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Bielewicz, gubernatori Samogitiae,*

*equum cantherium sibi dono missum gratum sibi fuisse nuntiat; filium eius sibi commendatum in numerum aulicorum suorum susceptum esse significat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 794-795.*

N. 2492.

*E Regio Monte, 14.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,*

*Ioannem a Werden, consulem Gedanensem, civium nomine ad regem missum legatum, ei commendat et rogat, ut causam Gedanensem apud regem promoveri conetur.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 787-791 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 177-179).*



N. 2493.

E Regio Monte, 14.I.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,  
Ioannem a Werden, Gedanensium ad regem legatum, commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ. K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 792-793.

N. 2494.

E Regio Monte, 14.I.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Fabiano Czema, succamerario Pomeraniae,  
rogat, ut pro Georgio Zabłocki (Sablot) apud regem intercedat.*

(Germanice)

*Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XV, pp. 182-3, Altpreussische Monatsschrift, 1905.*

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 179v-180.

N. 2495.

E Regio Monte, 23.I.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
pro "belli Gallici historia" sibi missa gratias agit; de spe debilitata belli contra Turcas bene gerendi dolet; ob provectam aetatem suam se minus idoneum esse putat ad munus imperatoris et ducis in eiusmodi bello obeundum.*

Cfr. El. XXXVII, N. 874.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 795-797.

Ad Comitem in Tharnau, XXIII Ianuarii.

Scriptis iam de negotio Gedanensi literis ac confectis, commodum nobis Illustritatis Vestrae allatae sunt, datae in Ossiech VI Decembris praeteriti XLIII. Quas et vidimus libenter et legimus diligenter. Principio Illustritati Vestrae pro missa belli Gallici, a Sacra Caesarea Maiestate gesti, historia magnas merito habemus gratias, nobis enim bellicarum rerum cognitio sane iucundissima est, sed non sine magno animi dolore et acerbitate intelleximus spem bene gerendae rei cum hostibus christiani nominis in Hungaria debilitari ac frigere, propterea quod incertum sit, an Sacra Caesarea Maiestas sufficientes tanto belli apparatus sumptus habitura sit. Nos quidem ea spe hactenus semper fuimus Deum Optimum Maximum (quod votis supplicibus unice ab ipso contendimus) ad eam belli molem conficiendam Sacrae Caesareae Maiestatis ceterorumque Imperii ordinum

animos, tantis praesertim impendentibus et quasi ob oculos versantibus periculis, ita incensuram ac inflammaturam, ut non modo de faustis et auspiciis iniitiis cogitarent, sed etiam ut spem indubiam praeberent fore, ut tandem bellum hoc exitiosum et difficillimum extingueretur, profligetur, pax christiana et victoria consequatur. Deum, patrem tantum liberatoris nostri, precamur, dignetur pro ineffabili sua clementia et bonitate nostrorum misereri nosque sua luce et verbo illuminare et sua omnipotentia hostem nefarium cohibere, grassantique latroni resistere.

Quod autem nos ei bello gerendo idoneos unquam reputaverimus, aut nostram pertenuem operam sufficere tantae rei existimaverimus, nunquam certe nobis in mentem ea cogitatio venit. Videt enim haud dubie ac intellegit Illustritas Vestra, tanquam prudentissimus rerum aestimator, quantum laboris, curae, diligentiae ad res tantas bene administrandas requiratur, quantum item periculi sit et discriminis, si agatur negligentius. His sane de causis fit, quod nihil nobis melius aut consultius esse putamus, quam maturam hanc nostram ac provectam aetatem in pace, quiete et tranquillitate, quod summe semper concupivimus, degere ac consumere. Deum equidem peccati semper sumus et adhuc precamur indies, ut eum imperatorem et ducem belli contra Turcam gerendi largiri velit, cuius studio, opera, cura, diligentia, providentia, addo etiam felici successu, capitalis tandem hostis profligetur ac superetur. Verum ad nos tales etiam subinde rumores perferuntur, quibus varie hercle afficimur considerantes, quod si non maiore cura ac diligentia, quod hactenus factum, in bellum adversus hunc hostem, satis cautum et in omnes occasiones intentum, incumbetur, omnino cavenda esse illa omnia, de quibus Illustritas Vestra suis literis mentionem facit. Qua de re cum Illustritate Vestra conferre coram mallems, quam pluribus scribere. Quod extremum, Illustritas Vestra nostro consilio, vel potius opinioni, acquievit, fecisse eam magis ex amica propensione ac fraterna necessitudine arbitramur, quam quod nostra simplicitas ac tenuitas tanti visa sit, quam Illustritas Vestra merito sequeretur. A Deo autem Optimo Maximo eventum eius rei optatum pro honore sui nominis ac Illustritatis Vestrae commodo et emolumento petimus. Quam bene feliciterque ad longa tempora valere percupimus. Datum.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.  
C. Sylvius.

N. 2496.

*E Regio Monte, 26.I.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwili, M.D.L. marscalco,  
pro Georgio Swiatzko Rapajłowicz (Rafałowicz), Stanislai Rapagelani, in Academia Regiomontana theologiae professoris, patre, intercedit et rogat, "ne illi porro intolerabilia onera praeter ius et fas imponat imponive permittat".*

*(Latine)*

*Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XXI, pp. 190-191.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 798-799.*

N. 2497.

E Regio Monte, 28.I.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Hieronymo Szafraniec, capitaneo Chećinensi,  
ob mortem coniugis dolorem suum ei declarat; filium eius et nepotem in  
numerum servitorum suorum libenter se recepisse nuntiat.*

(Latine)

Cfr. El. XLIX, N. 484.

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 799-801.

N. 2498.

E Regio Monte, 28.I.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Andree a Górka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,  
marchionem Gulielmum, fratrem suum, archiepiscopum Rigensem, commen-  
dat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 801.

N. 2499.

E Regio Monte, 1.II.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Spytconi Tarnowski, R.P. thesaurario,  
de annuo stipendio suo ex thesauro regio sibi numerando.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 802.

N. 2500.

E Regio Monte, 10.II.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro Anna Feyerabent.*

(Latine)

(Adest conc. Lat. cum dato: 31.XII.1544, HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 802-804.

N. 2501.

E Regio Monte, 10.II.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwill, M.D.L. marscalco,  
pro Anna Feyerabent.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 805.

N. 2502.

E Regio Monte, 24.II.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de causa Gregorii Obornicki.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 805-807.

N. 2503.

E Regio Monte, 2.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
reginae Scotiae [Mariae de Guise]  
de nave subditis suis Regiomontanis: Ioanni Ungerman, Martino Winthmoller,  
Gregorio Petsch aliisque a comite ab Odwill, classis praefecto, intercepta.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 807-809.

N. 2504.

E Regio Monte, 4.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,  
de redimenda arce Stanislai Odrowąz; de equis Turcicis sibi suppeditandis; de  
400 bobus sibi mittendis etc.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIX, NN. 486, 488.

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 180-182.

N. 2505.

Vilnae, 16.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,  
de rege et regina iunioribus bona fruentibus valetudine nuntiat; de regis senio-  
ris sanitate certior fieri desiderat; novitates Hungaricas sibi mitti iubet;  
litteras suas Sigismundo ab Herberstein tradendas accludit.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIX, N. 487.

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 182-183.

N. 2506.

Vilnae, 17.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Zisman, civi Caunensi,  
rebus suis apud regem Vilnae iam expeditis, ad reditum in Regium Montem se  
accingens, rogat, ut omnia ad iter per aquam Ragnetam versus faciendum  
necessaria, ut puta commodum navigium, victualia, servitores naviga-  
tioni idoneos, sibi paranda curet.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 43, f. 169.

N. 2507.

E Regio Monte, 18.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Policki  
de morte Stanislai Odrowąz, palatini Russiae, dolet.*

(Germanice)

Cfr. El. XXXVII, N. 884.

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 183-183v.

N. 2508.

Caunae, 21.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Stanislaum Lasota et Ioannem Kempe commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 809-811.

N. 2509.

“Ex navigio inter Caunam et Ragnetam”, 21.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
Volfgangum Bleyfeller, servitorem suum, aliis in locis fortunam experiri  
cupientem, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, f. 812.*

N. 2510.

*Caunae, 22.III.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Bonae reginae Poloniae  
pro hospitalitate, ab officialibus reginae sibi Caunae exhibita, gratias agit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 813-814.*

N. 2511.

*Caunae, 22.III.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro vidua Iacobi Sculteti, civis Caunensis.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 814-815.*

N. 2512.

*Caunae, 22.III.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
universis  
litterae plenipotenciales Ioanni Schaurka, Francisci Schier negotia curanti,  
concessae.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 815-817.*

N. 2513.

E Regio Monte, 24.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
palatino Plocensi [Felici Srzeński]  
de controversia finium inter regiam Prussiae partem et Ducatum suum com-  
ponenda et de die utriusque partis commissariorum conventui designan-  
do.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, N. 891.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 817-818.

N. 2514.

Tilsae, 26.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de hospitiiis et deversoriis in finibus Prussiae et Lithuaniae aedificandis et de  
pontibus reficiendis.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 820-821.

N. 2515.

Tilsae, 28.III.1545.

*Albertus dux in Prussia  
«tenentario in Jurgenburgk» [Ioanni Kuncewicz]  
de subdito regio a subditis suis in libera via spoliato deque huius facinoris  
auctoribus puniendis; de subditis regiis trans limites arare et arbores suc-  
cidere solentibus etc.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 818-819.

N. 2516.

E Regio Monte, 1.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro Ioanne a Pelcken, cive Gedanensi.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 821-822.

N. 2517.

*E Regio Monte, I.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
negotiis suis in Regni Comitibus non confectis et in aliud tempus dilatis, rogat,  
ut eadem negotia sibi porro commendata habere velit; de negotio suo  
secretiore coram cum eo colloqui cupit; de Stanislai Odrowąż obitu dolet;  
rogat, ut operam interponat, quo pecuniam eidem Odrowąż a se mutuo  
datam «non laboriose» recuperare possit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 882.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 823-824.*

N. 2518.

*E Regio Monte, I.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Spytconi Tarnowski, R.P. thesaurario,  
de annuo stipendio suo ex thesauro regio sibi numerando.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 887.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, f. 825.*

N. 2519.

*E Regio Monte, I.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Stanislao Hosio  
tres portugalenses dono mittit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 825-826.*

N. 2520.

*E Regio Monte, I.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Stanislao Łaski, palatino Siradiensi,  
pro diligentia et studio in promovendis negotiis suis adhibito gratias agit;  
eadem negotia in posterum commendat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 887.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 826;827.*



N. 2521.

E Regio Monte, 1.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,*  
*pro studio negotia sua promovendi gratias agit et rogat, ut eadem promovere*  
*pergat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, NN. 880, 888.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 827-828.

N. 2522.

E Regio Monte, 2.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Fabiano Czema, succamerario Pomeraniae,*  
*de incolis pagi eius Geysell, episcopo Pomesaniae, Paulo Sperato, decimas sol-*  
*vere nolentibus, queritur.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 184-184v.

N. 2523.

E Regio Monte, 7.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Ioanni Kościelecki, palatino Inowladislaviensi,*  
*Christophorum Wieliewitz, bonarum artium studiosum, commendat, ut bono-*  
*rum paternorum partem consequi possit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 838-839.

N. 2524.

E Regio Monte, 7-10.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Quietatio de annuo stipendio suo (4000 aureorum) ex thesauro regio sibi*  
*numerato.*

(Germanice)

Conc. Germ., HBA, B, K. 1167.

N. 2525.

*E Regio Monte, 8.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de causa Maraunensi et de privilegiis, immunitatibus, iuribus suis.  
(Schedula: de argento in castellanatu Posnaniensi sibi intercepto).  
(Latine)  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 828-838.*

N. 2526.

*E Regio Monte, 8.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
typographo Cracoviensi [Bernardo Wojewódka]  
litteras Stanislai Rapagelani (Rafałowicz) de officina libraria in Ducatu Prussiae instituenda mittit et rogat, ut eam ob rem Regium Montem veniat.  
(Germanice)  
Cfr. El. XLV, N. 46.  
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 187-187v.*

N. 2527.

*E Regio Monte, 9.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Francisco I regi Galliae  
pro consulibus et senatoribus Regiomontanis, ut eis navis quaedam a subditis eius intercepta restituatur, intercedit et eorum procuratorem, recipiendae navis causa in Galliam missum, commendat.  
(Latine)  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 839-841.*

N. 2528.

*E Regio Monte, 9.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
supremo iudicio Galliae  
de nave mercibus onusta subditis suis Regiomontanis in Gallia intercepta.  
(Latine)  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 841-843.*

N. 2529.

E Regio Monte, 9.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Felici Srzeński, palatino Plocensi,  
de die regundis finibus designando.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, N. 891.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 844-845 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 184-185).

N. 2530.

E Regio Monte, 9.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Christophoro Konarski  
pro litteris, per Franciscum Thege sibi allatis, gratias agit; 20 taleros mittit et  
rogat, ut negotia sua promovere pergat et novitates scribat.*

(Germanice)

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 185-185v.

N. 2531.

E Regio Monte, 9.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,  
de regis senioris infirmitate et Decii aegritudine dolet; ob mortem Stanislai  
Odrowqz dolorem suum exprimit; novitates sibi scribi petit; pro pileo Ita-  
lico gratias agit etc.*

(Schedula: rogat, ut annexas litteras Sigismundo ab Herberstein et doctori  
Hedio transmittendas curet).

(Germanice)

Cfr. El. XLIX, N. 487.

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 185v-187.

N. 2532.

E Regio Monte, 16.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de re monetaria; de filia sua ab Augusto duce Saxoniae in uxorem petita.*

(Germanice)

Cfr. El. XXX, N. 304.

Conc. Germ., HBA, B, K. 1167.

N. 2533.

*E Regio Monte, 16.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Stanislae Lasota, aulico reginae Poloniae,  
pro diligentia in promovendis negotiis suis adhibita gratias agit; de Thomae  
Sobocki ad cancellariatum Regni promotione gaudet; nova sibi perscribi  
poscit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 850-851.*

N. 2534.

*E Regio Monte, 17.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de subditis regis, Magni Ducatus Lithuaniae incolis, queritur, qui in Ducatu  
Prussiae subditis suis nonnisi 15 grossos Lithuanicos pro marca nume-  
rant, a subditis vero suis, in Lithuania mercaturam exercentibus, 16 gros-  
sos Lithuanicos pro eadem marca postulant.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 848-849 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 188-189).*

N. 2535.

*E Regio Monte, 17.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Elisabeth reginae Poloniae iuniori  
vinum Rhenense dono mittit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 187v-188.*

N. 2536.

*E Regio Monte, 17.IV.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Annae Odrowąz, e ducibus Masoviae,  
Annae Odrowąz, palatini Russiae, eam consolatur; tem-  
pus mutuatae pecuniarum summae sibi persolvendae ei prorogat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 890, 894.*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 845-847.*

N. 2537.

E Regio Monte, 17.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Petro Dameraw Wojanowski*  
*de legatione Livoniensi Vilnae recens peracta accuratius edoceri cupit.*  
(Germanice)  
(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).  
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 189-189v.

N. 2538.

E Regio Monte, 23.IV.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*de re monetaria.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 851-852.

N. 2539.

E Regio Monte, 8.V.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Andrae a Görka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,*  
*litterae credentiales pro Petro Schmitner, municipe Cnipaviensi.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 852-853.

N. 2540.

E Regio Monte, 10.V.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Andrae a Görka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,*  
*de argento intercepto.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 853-855.

N. 2541.

E Regio Monte, 15.V.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,  
commendat viduam Martini Hèrmensdorff.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 855-856.*

N. 2542.

E Regio Monte, 15.V.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Spytconi Tarnowski, R.P. thesaurario,  
de edicto regio, argenti exportationem e Regno prohibente, queritur.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 892, 896.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 857-858.*

N. 2543.

E Regio Monte, 15.V.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Christophoro Konarski  
pro novitatibus de Turcis, de regis iunioris Cracoviam adventu, de rebus Geda-  
nensibus gratias agit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 189v-190.*

N. 2544.

E Regio Monte, 16.V.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,  
de negotio Eustachii Fogelweider; de edicto regio evectioem argenti interdi-  
cente; de causa Gedanensi; de regina iuniore etc.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLIX, NN. 489, 492.*

*(Adest conc. Germ. cum dato: 17.V.1545, HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 191-192.*

N. 2545.

*E Regio Monte, 17.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, et (mutatis mutandis) Ioanni Tar-  
nowski, castellano Cracoviensi,  
rogat, ut operam et auctoritatem suam interponere velit, quo edictum regium  
de non advehendo per Regnum Poloniae in Ducatum Prussiae et alias  
regiones argento tollatur abrogeturque.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 895.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 858-860.*

N. 2546.

*E Regio Monte, 17.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
capitaneo Lomsensi  
pro Georgio Wolf, subdito suo, hereditatem in Łomża habente.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 860-861.*

N. 2547.

*E Regio Monte, 17.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Wunsam, civi Cracoviensi,  
de edicto regio, exportationem argenti prohibente, et de cudenda moneta.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 190-190v.*

N. 2548.

*E Regio Monte, 17.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Bernardo Wojewódka, typographo et editori Cracoviensi,  
ab Hieronymo Wietor, typographo Cracoviensi, nullo ad litteras suas responso  
accepto, rogat, ut eum ad responsum servitori suo dandum adigat.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLV, N. 46.*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, f. 191.*

*Albertus dux in Prussia*

*Stanislao Lasota, aulico reginae Poloniae,*

*scribit aliquot nova ex Germania, scil. de imperatore propria persona Comitii Imperii adfuturo et de duce Megapolensi milites conscribente; de disputatione theologica circa confessionem auricularem a Stanislao Rapagelano lingua Polonica explicanda; de Veteris et Novi Testamenti in linguam Polonicam conversione iam incepta.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 868-871 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 195-196v).*

Stanislao Lesotae.

Salutem et benevolentiam nostram *etc.*

Quas ad nos Generositas Tua proxime scripsit literas, accepimus ac perlegimus, fueruntque nobis multis nominibus gratissimae. Itaque magnas illi habemus gratias, tam quod nos Generositas Tua scriptis suis inviserit, tum quod Sacrae Reginali Maiestati seniori, Dominae nostrae clementissimae, negotium, de quo Generositas Tua scribit, retulit referre curavit. Cum autem responsum tale, de quo literae Tuae Generositatis iudicium faciunt, redditum sit, et causae non aliae, sed hae, de quibus inter nos coram collocuti sumus, praetensae, Deo interim Optimo Maximo, tandem politico magistratui ea res committenda est. Quoniam vero hoc tempore ad nos perlatum est, Sacram Regiam Maiestatem Poloniae iuniorem, Dominum et consobrinum nostrum charissimum, certum statutumque habere Cracoviam proficisci iamque in itinere esse, facere non potuimus, quin Generositati Tuae scriberemus. Cui nova, si quae essent, haud gravate mitteremus, nisi non essent eiusmodi, quae Tua Generositas antea habeat cognita.

Ex Germania adfertur Sacram Caesaream Romanorum Maiestatem <sup>1)</sup> propria persona Imperii Comitii affuturam. Quapropter a Deo omnipotente supplicibus votis contendimus, faxit sua ineffabili benignitate, ut hoc agatur, statuatur et concludatur, quod ad amplificandum nominis sui sanctissimi honorem spectat, deinde etiam, quae ad resistendum capitali fidei nostrae hosti et augendo gregi christiano conducant. Ceterum in Germania pacata sunt omnia, nisi quod Dux Megalburgensis <sup>2)</sup> aliquot milites habere dicitur et aliis quibusdam in locis milites conscribi nuntiatur. Quorsum vero tendant, nobis non satis constat, clementer postulantes ac petentes, Generositas Tua, si quid novarum rerum penes se habet, nobis, quantum earum scire licet ac integrum est, significare non gravetur.

Extremo non dubitamus Generositatem Tuam memoria adhuc tenere nos proxime, cum Vilnae essemus, mediante regio mandato aliisque causis accedentibus, concionatorem Sacrae Regiae Maiestatis Suae ad nos accersendum curasse. Qui cum argumentum quoddam de confessione auriculari proposuisset, idque per nostrum, quem tum una habebamus, praedicatorum solutum esset, et alioqui multa in utramque partem disputata, neque tamen utrique parti satisfactum videretur, quod ea se quaestio extendit longius. Quandoquidem autem videbamus Generositatem Tuam, cum reliquis Dominis tum praesentibus, fontes ac fundamenta eius disputationis non satis percipere, in primis vero Tuae Generositatis precibus moti, qui-



bus petebas, ut in communem christianorum utilitatem Bibliam Sacram in Polonicam linguam transferendam et typis excudendam curarem, visum nobis est haud infrugiferum, si quam primum Vilna reversi essemus, nostris theologis negotium daremus explicandi illam disputationem de confessione auriculari lingua vestra. Quod quidem oneris pro suo studio, fide et pietate, qua universo orbi ex intimo corde non gravate servivit, doctus simul ac pius, nobis fidelis dilectus Doctor Stanislaus Rapagelanus libenter suscepit eamque disputationem hoc libello, quem Generositati Tuæ transmittimus, dilucide et satis copiose explicuit. Deum igitur, liberatorem Domini nostri Iesu Christi, invocamus, dignetur clementer concedere, ut hoc ipsum opusculum Tua Generositas multique alii magno cum fructu et incremento pietatis legant multumque inde utilitatis consequantur. Et si quis forte conscientiam suam aliqua labe aspersam aut irrequietam offendat, habeat quo se consoletur, quove suum maerorem lenire et tranquillum animum reddere possit.

Vetus quoque et Novum Testamentum Polonica lingua, Tuæ Generositatis rogatu, nobis sic mandantibus, ceptum est transferri. Verum nos Generositati Tuæ pleno maeroris et tristitiæ animo non possumus non significare eundem Doctorem proximis hisce diebus, nudius quartus videlicet, a Deo Optimo Maximo ex hac vita ad aeternam felicitatem evocatum, cuius manibus dii sint propitii mollemque faxint quietem. Qua de causa inceptum quoque opus aliquandiu intermittendum erit. Nihil tamen dubitamus omnipotentem Deum eiusmodi viros largiturum, quorum opera, studio et ingenio inchoatum hoc opus in plurimorum christianorum commodum perficiatur. Qua in re neque expensis nostris, neque operæ parcemus. Quod reliquum est, clementer petimus, Generositas Tua nos et scriptis suis crebro invisere et, sicubi incidat mentio, ad Sacras Regias Maiestates nos commendare non desinat. Hoc nos erga eandem clementer promerebimur. Datum in Nova Domo, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii  
Constantinus.

1) *Carolus V.*

2) *Albertus dux Megapolensis.*

N. 2550.

*Neuhausen, 19.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Łaski*

de «christiana reformatione» archiepiscopi Coloniensis [*Hermannus a Wied*] gaudet; nova ex Comitibus Imperii per Assuerum Brandt sibi significari petit; sententiam suam de «Epitome» eius (Epitome doctrinae ecclesiarum Phrisiae Orientalis, ed. 1544) sibi transmissa mox ei cognitum iri pollicetur; dissensiones quasdam inter Ioannem Russocki, consanguineum eius, et aulicum quendam suum exortas facile sublatas esse asserit. (Latine)

(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166.*)

(*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 871-876 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 196-199).*)

Ioanni a Lasko, XIX Maii.

Salutem ac benevolentiam nostram.

Nobilis ac erudite, sincere nobis dilecte.

Binas tuas literas, alteras 23 Decembris praeteriti, alteras 28 Martii praesentis anni Embda datas, simul accepimus. Quarum sensum (quem quidem repetere, ne legendo taedium pariat, supersedemus) probe cognovimus. Principio quae de christiana reformatione Reverendissimi Domini et amici nostri veteris, Archiepiscopi Coloniensis, ad nos scribis. Quam vere christianum et veritatis amantem animum Reverendissima Paternitas Sua habeat, audivimus equidem non sine magna animi laetitia libenter, Deum Optimum Maximum precantes, dignetur Reverendissimam Suam Paternitatem pro amplificando nominis ac verbi sui sacrosancti honore longis temporibus constantem et in isthac pietate agnitaque luce perseverantem conservare. Quoniam autem Reverendissima Paternitas Sua proximi Imperii Comitibus adesse certum statutumque habet, ac fortasse tu quoque eo accessurus es, aut iam illo concessisti, itaque clementer postulamus ac petimus, velis nos de omnibus rebus, quae agentur, in primis vero quo pacto sese res Archiepiscopi eius habeant, quoque tandem erumpent, et si quid praeterea cognitione nostra dignum accidet, per nobilem fidelem nobis dilectum Assuerum Brandt, quem ipsum ad ea Comitibus ablegavimus, certiores facere.

Ad alteram epistolam venimus (cui quidem merito primum respondere oportebat), qua ostendis tuas priores, ad nos una cum Epitome transmissas, non eo intellectas, quasi in hac sententia perseverare proposueris, aut ideo missum librum, ut in manus multorum veniret. Cui hoc responsum volumus: Nos certe nihil dubitare te, ut virum doctissimum et in literis sacris probe exercitatum, haud quidquam, quod sanae et purae catholicae doctrinae verboque Dei repugnet, accepturum, multo minus defensurum. Imo sic nobis persuasum habemus te, si quid forte parum orthodoxum esset (de quo nondum habemus dicere) positum, non modo non mordicus adhaesurum, sed etiam ultro id explosurum. Sed quia eam nobis Epitomen legendam examinandamque tradidisti, nos etiam non alia ratione ulla aut consilio nostris quibusdam intimis, qui in hac re iudicio limatiore et magis exacto quam nos sunt, communicavimus, ut, quoniam tibi tuisque omnibus citra iactantiam clementer favemus tuaeque nobis res non minimae curae sunt, si quid hoc esset, ex quo incommodum ad te rediturum, aut quod labem aliquam tibi aspersurum sit, quodque aemuli et malevoli, qui perpetuus huius mundi genius est, carpere iure possent, id omne tibi veris et certis argumentis, quo in omnes futuros casus esses instructor, constanter demonstrare possemus. Quapropter clementer petimus, ut ne alio a nobis consilio, quam modo recensuimus, factum hoc esse existimes. Et quamvis nostrae te sententiae iam pridem certiore facere concupivimus, tamen id hactenus ob negotiorum multitudinem, quibus et nos et illi, quibus tuam Epitomen cognoscendam dederamus, districti fuerunt, intermissum est. Itaque iterum postulamus, ut nos apud te excusatos esse patiaris atque hanc moram dilationemque aequo animo feras. Brevi enim fore confidimus, ut nostrae sententiae fias particeps.

Ex iis porro literis 28 Martii scriptis cognovimus, qualiter tuus necessarius ac sanguine iunctus Ioannes Rusoczki ad te venerit indicans sibi nescio quid infortunii hic in aula nostra obtigisse. Adversum quod certo nobis affirmare licet nos ea de re, qua de ipso insinuante scribis, nihil quidem vel audisse vel percepisse hactenus, nisi quod nuper, postquam literae tuae nobis allatae sunt, scrutando certiores facti sumus fuisse quasdam

dissensiones, non graves illas quidem, inter ipsum et quendam nostrum servitorem alium. Quae tamen omnes, quibusdam amicis sese ei negotio interponentibus, facile sublatae sunt ita, ut redditum sit utrimque in gratiam. Itaque nobis non constat, quid ipsum moverit, ut clam [a] nobis discederet aulamque nostram sine causa desereret. Antequam autem hinc discessit, narraverat quibusdam suis conterraneis sibi Dantiscum de necessitate proficiscendum, ut ibi equos; arma et reliqua, sibi pro suo servitio necessaria, compararet. Nunc vero qualem profectionem instituerit quodve Gedani voluerit, res ipsa declarat.

Ad haec te celare nolumus negotiatorem hunc, qui tuas nobis pertulit, summe ad nos conquestum esse, quod praedicto Ioanni Russoczky ad officiosam suam petitionem (quemadmodum ex illo ipso mercatore rem omnem clarius percipies) ad mille aureorum mutuo dederit. Quid autem gratiae sibi relatum sit, et id procul dubio comperies. Quin imo cum in hanc mentionem inciderimus, praeterire non possumus, quod elapso abhinc biennio ad nos quoque cum literis creditivis patris sui, Domini Nicolai Russoczky, nomine scriptis sigilloque eiusdem obsignatis venit, narrans nobis se quendam furem, qui parenti magnam pecuniae summam clam sustulerit aufugeritque, persequi debere, sicubi eam recuperare a profugo posset. Hic, cum pecunia ipsum deficeret, petiit a nobis etiam atque etiam vehementer, ut illi aliquid, quo melius patris mandatum exequi posset, prae manu mutuoque daremus, fore pollicens, ut id cum summa gratiarum actione pater remuneraturus sit. Cuius precibus moti, centum aureos benigne mutuo dandos nostro nomine iussimus. Sed cum eam rem patri perscriberemus suo, significavit is nobis merum id esse filii sui figmentum, neque se unquam voluisse, minus cogitasse, ut filius pecuniam a nobis ullam mutuo sumeret, simul tum rogare, ut pro nostra in se clementia et favore filium suum in servitorum nostrorum numerum reciperemus. Quod quidem illi pro suo in nos officio, studio ac propensa voluntate denegare non potuimus, fuitque apud nos tantisper, dum eo, ut supra dictum est, modo nobis insciis discessit.

Haec non ideo repetivimus altius ac per ambages explicuimus, quod bonum adolescentem infamia vel labe aspergere conemur, imo ut potius tu, tamquam necessitudine illi coniunctus, mores, vitam statumque ipsius penitius cognoscas, si forte tuo aliorumque ductu ab his ineptiis abduci et ad vitae conditionem magis ingenuam seque dignam accipiendam pellici pertrahique possit. Quicquid enim tibi tuisque omnibus (credas nobis) gratiae, favoris, benevolentiae exhibere possumus, nolumus sane committere, ut nobis defuisse videamur. His te bene feliciterque valere cupimus. Datae ex Nova Domo, 19 Maii anno 45.

Constantinus.

N. 2551.

*E Regio Monte, 20.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*rogat, ut edictum de non advehendo per Regnum Poloniae in alias regiones argento tollere et abrogare velit.*

*(Schedula: de Ioanne et Stanislao Wunsam, civibus Cracoviensibus,*

*argentum, pro quo iam pecunia eis numerata est, sibi suppeditare debentibus et propter eiusmodi edictum id facere non valentibus).*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 864-867 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 193-194, sine schedula).*

N. 2552.

*E Regio Monte, 20.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*rogat, ut auctoritatem suam apud regem seniore interponat, quo edicta regia de argento in Ducatum suum non advehendo et de non cudenda moneta abrogentur.*

*(Schedula: profectionem suam in Silesiam certis de causis dilatam esse significat).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, ,K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 861-863.*

N. 2553.

*Neuhausen, 20.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,*

*pro litteris et equo, per Petrum Wojanowski sibi allatis, gratias agit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 199-199v.*

N. 2554.

*Neuhausen, 31.V.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Elisabeth reginae Poloniae iuniori*

*pro vino ei misso grate accepto gratias agit; obsequia defert.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 199v-200.*

N. 2555.

E Regio Monte, 3.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*Albertum ducem Megapolensem in animo habere nuntiat exercitum aliquot millium peditum Ordini Theutonicorum in Livonia auxilio mittere.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 881-882.*

Regi Poloniae Iuniori, 6 Iunii.

Serenissime Rex etc.

Cum mei sit officii, ut Sacram Regiam Maiestatem Vestram nihil eorum, quae ad commodum aut detrimentum eiusdem spectare videntur, celem, committere non potui, quin ex debito subditoque officio Sacrae Maiestati Vestrae Regiae notum facerem, certo ad me perlatum esse Albertum Ducem Megalburgensem in animo habere et iam constituisse exercitum aliquot millium peditum Ordini Teutonicorum in Livoniam auxilio mittere, praetensa tali (ut aiunt) causa: Magistrum Ordinis <sup>1)</sup> nonnihil pati iniuriarum et gravaminis a vicinis quibusdam populis. Postea quoque ad me perlatum est eundem ipsum exercitum nonnihil dispergi <sup>a)</sup>. Quid vero dictus Dux Megalburgensis aliique factionis eiusdem in commodum Ordinis Teutonici machinaturi sint aut si ab incepto desistent, certo adhuc mihi non constat. Dabo tamen operam enixe atque in id incumbam, ut per meos aliquid certi inde accipiam. Quod ubi resciero, ex debito officio Sacram Maiestatem Vestram Regiam eorum nihil celabo. Idque eam ob rem Sacrae Vestrae Maiestati Regiae significo, ut eo melius res suas dirigere possit et, si quid occultae fraudis subesse videatur, diligentius hac de re perquirere mandet. His Sacram Maiestatem Vestram Regiam sanam, salvam et fortunatissimam Nestoreos in annos conservari et valere exopto, cuius favori me meaque omnia subdite commendo. Datum e Regio Monte 3 Iunii, anno 1545.

Commissio Principis referente Domino Cancellario.

A.M.

a) sequuntur duo verba expuncta.

1) Wolfgangus Schutzbar.

N. 2556.

Neuhausen, 3.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,*

*pro studio in promovendis negotiis suis adhibito gratias agit; negotia sua ex animi sententia non confecta et in aliud tempus dilata Deo committit; tempus solutionis debitaе sibi a defuncto Stanislao Odrowąz pecuniae se viduae eius Annae duci Masoviae prorogasse nuntiat; pro novitatibus gratias agit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 895.*

(*Adest conc. Lat. cum dato: 20.V.1545, HBA, B, K. 1167, et Germ. cum dato: 21.V.1545, HBA, B, K. 1166.*)  
*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 876-879 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 200-201).*

N. 2557.

*E Regio Monte, 4.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia*  
*Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,*  
*pro Nicolao de Nova Natione (sic), Stanislai Rapagelani consobrino.*  
(*Latine*)  
(*Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XXII, p. 191.*)  
(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167.*)  
*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 879-880.*

N. 2558.

*Neuhausen, 6.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo I regi Poloniae*  
*de negotio Marauniae, subditae suae, cum heredibus Lucae Ketting, civis*  
*Gedanensis, intercedente.*  
(*Latine*)  
(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166.*)  
*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 882-884 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 202-203).*

N. 2559.

*Neuhausen, 6.VI.1545.,*

*Albertus dux in Prussia*  
*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,*  
*causam subditae suae Marauniae commendat rogans, ut eam apud regem pro-*  
*moveat.*  
(*Latine*)  
(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ. HBA, B, K. 1166.*)  
*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 885-888.*

N. 2560.

*Neuhausen, 7.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia*  
*Stanislao Hosio*  
*de negotio subditae suae Marauniae.*  
(*Latine*)  
(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166.*)  
*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 889-890.*

N. 2561.

*E Regio Monte, 8.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,  
iterum petit, ut pileum Italicum sibi mittat; nova de Turcis scribi iubet.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 201v-202.*

N. 2562.

*E Regio Monte, 20.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
ordinibus Magni Ducatus Lithuaniae  
Ioannem Platen (Platonem), civem Regiomontanum, commendat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 901.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 891-892.*

N. 2563.

*E Regio Monte, 20.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Fabiano Czema, succamerario Pomeraniae,  
causam Ioannis Blum, civis Gedanensis, contra Moysen Kozicki, Iudaeum ex  
oppido Birze in Lithuania, commendat.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 203-203v.*

N. 2564.

*E Regio Monte, 22.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Ioannem Blum, civem Gedanensem, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 892-983.*

N. 2565.

*E Regio Monte, 22.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,  
Ioannem Blum, civem Gedanensem, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 893-894.*

N. 2566.

*E Regio Monte, 22.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,  
pro equo promisso et novitatibus gratias agit; ob mortem reginae iunioris  
dolet; de cuiusdam proceris Hungari a fide christiana defectione et ad  
mahomethanismum transitu vehementer indignatur.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 204-204v.*

N. 2567.

*E Regio Monte, 22.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Christophoro Konarski  
pro significatis novitatibus gratias agit et in posterum eas sibi scribi petit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 204v-205.*

N. 2568.

*E Regio Monte, 22.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Wunsam, civi Cracoviensi,  
de edicto regio, exportationem argenti prohibente, paululum mitigato et de  
modis, quibus argentum ex Silesia in Prussiam advehi possit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 205-205v.*



*Albertus dux in Prussia*

*Iusto Ludovico Decio, monetæ regiae præfecto,  
de meliore eius valetudine gaudet; de negotio Eustachii Vogelweyder; de damnis et incommodis ex edicto regio de non advehendo per Regnum argento manaturis; de pileis et chronicis sibi mittendis; de Turcis in Hungaria.*

*Cfr. El. XLIX, N. 492.*

*(Adest conc. Germ., HBA., B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 206-207.*

An Jobst Ludwigenn den 23 Iuny, belangende Eustachium Vogellweyder, item das newhe aussgerufene edict vonwegen nicht ausstattung des sylbers etc.

Unsern grus zuvorn.

Edeler, lieber, getreuer.

Wir haber ewer eigen handtschreyben, aussgangen zu Crackau am XII tag itzigs monats Iunii entpfangen, seyenes inhalts lesende, und erstlich nit ohne genedig mytleyden, das yr balde noch ewer tochter ehfreuden yhn krangheytt gefallen und ein lange zeit darynnen beharlich verhafft gewesen, volgendes aber mit freuden, das yr vermittelst gottlicher hilf zur gesuntheit widderkhommen, verstanden. Derselb liebe Gott geruhe euch zu langen tagen in gutther, wolmogender fristung zu erhalten.

Wes yr ferner wegen Eustachy Vogellweyders bester meynung anzaigt, khonnen wirs auch bey uns anderst nicht urtheylen und mochten wol leiden, Vogelweder in seyнем bevolenen ampt sich dermassen vergesehen, dardurch wir yhn solchen oder andern unser hohen notturft nach (dorumb uns niemants zu vordencken) mit ime rehden zu lassen nicht geursacht weren. Dieweyl aber dennoch darinnen viel mangel befunden, hat unsere notturft mit ime dieselben clar zu machen zu handeln erfordert. Wan das beschicht, sein wir mit ime zufriden und ersettiget, wollen gleichwol dermassen, des uns bey menniglich unverweysslich sein solle, gegen ime geboren.

Sovil das new aussgerufene edict, wegen nicht ausstattung der sylber, auch des neuen muntzens in Polann und dem grossfurstenthumb Litthauen antrifft, haben wir, wes yr ewrm schreyben nach, dabey gethan, warauf es pleyben und noch darhinder stecken solle, vermerckt. Thun uns desselben ewers gehabten vleisses genediglichen, und also hoch yr denselben vorgewant, bedancken. Uns nymbt aber sehr wunder, das man itzunder auss den ursachen, welche yhn ewerem schreyben angezaigt und vorgegeben, die muntz zu vorbiethen vorhat, so doch zuvorn, wie wir uns zu erinnern wissen, die bedencken vor der handt gewesen, das zuviel muntz und wenigk goldes verhanden, auch dasselb zu hoch in werdt stige.

Do aber die muntz gelegt, solt gelts ein notturft und yhn geringern werd <sup>a)</sup> auch leichter, weder so man mit dem muntzen yhm schwang pliebe, zu bekhommen seyn, und das der itzigen verbietung ein ursach sein solt, das ko.mt. X jhar yhn Preussen und XVI jhar yhn Polan, ihn Litthawenn noch lenger, mit dem muntzen stillgestanden, do die schweinitzer und vil fremde muntz yhn Polenn und Litthenn <sup>b)</sup>, des dan koniglicher mt. und den stenden in der Cran Polann unleidlichen eingewurtzelt, auch wir dorumb ein zeitlangk pilligk von dem muntzen abstehen solt, oder es

wurde ewers besorgens eine andere unbequemheit erfolgen, wissen wir beyde ursachen yhn unserm geringem verstande zusammen nicht zu reymen. Anmerckend, ob wir wol ko. mt. zu underthenigem gefallen ein zeitlangk mit unserm muntzen aufgehört, so sehen wir doch <sup>c)</sup> an dem golde keynen vorthail, sonder das solchs jhe lenger und hoher steygt, eben so wenig wird damit der frembden muntzen geweret.

Do aber jhe was aussgericht, hat menniglich leichlich zu erachten, mit was mercklichen schaden und verterb gemeyner handtirung einwoner und armuthes beschehen muss. Ist auch leider zuvorn yhn diessen unsern landen dergleichen mit der that gefulet worden, darab dan zu vermuten nicht der gemeyne nutz, den man doch vorgibt, sonder der aigene, welcher zuvorn auch wol gerechen und geschmecht, gesucht. Khennens derhalben anderst nicht deuthen, weder das man sich unss ohn unsern wolhabenden <sup>d)</sup> und lang hergebrochten guthen gerechtigkeiten und privilegien zu perturbiren understehet. Darzu, weyl die eyne ursach iren vorgang nicht erreicht, vermeynt man mit der andern vortzufahren. Gilt eyne bey uns sovil als die andere, hofflich die zeit wirth die letztere wie die erste an tagk geben. Mussens aber dem lieben Gott, der alle dingk nach seynem veterlichen willen zum besten wenden ader nichten wirdt, und diesen itzigen gestirne bevelhen. Der khan die sachen dahin richten, damit diese und anders furhaben uns und dem gemeynem nutze nicht schaden und wir bey unser gerechtigkeit, wir <sup>e)</sup> uns der, die vertrege und konigliche zusagungen geben, geruglichen pleiben mugen. Mit was fug aber die muntzverbitung geschehen soll, auch wes vor <sup>f)</sup> hertzen gemuth und <sup>g)</sup> reden beydes von underthanen und frembden gefallen werden, lassen wir yhn ime beruhen; yr als der vorstendige habt es wol zu urtheylen.

Der huthe und kronicke seyn wir ewerem schreyben nach gewertigk.

Die newhe zeitung von den frischen Turcken, so yhn Ungern ankhommen seyn, und das die ungerischen herrn einander sehr verfolgen sollen, ist uns gantz leidt. Der Almechtige verleyhe enderung, wende des und alles zu seynen ehren und der christenheyt bestem. Haben euch diss auf eur schreyben zur genedigen antwort nicht mogen pergen. Datum Konigspergk, ut supra.

a) *sequitur expunctum:* v

b) *sequitur expunctum:* des den

c) *sequitur expunctum:* so sehen wir doch

d) *verbum correctum.*

e) *sic in ms.*

f)-g) *in margine.*

N. 2570.

*E Regio Monte, 27.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*iterum rogat regem, ut edictum de non advehendo per Regnum Poloniae in Ducatum suum et alias regiones argento, utpote utrinque initis pactis et bonae vicinitati repugnans, iuribus et privilegiis suis nocens, retractandum curet; pro Stanislaio Wunsam facta potestate, qua debitam sibi pecuniam argento restituere possit, gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 894-896.*

N. 2571.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
rogat, ut capitaneo Varsaviensi sub poena mandare velit, quo pecunia episcopo Sambieni [Georgio Polentz] furto ablata, nunc ab eodem capitaneo detenta, sine mora proprietario restituatur.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 896-897.

N. 2572.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de argento suo ab Alberto Rychwalski in castellanatu Posnaniensi raptio.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 899-901.

N. 2573.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,  
de pecunia episcopo Sambieni [Georgio Polentz] furto ablata et a capitaneo Varsaviensi adhuc detenta; de argento in exteris regionibus coempto in Ducatum suum per ditiones regias tuto transvehendo.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, NN. 898, 902.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 897-899.

N. 2574.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Spytconi Tarnowski, castellano Wojnicensi, R.P. thesaurario,  
rogat, ut Stanislaum Wunsam, civem Cracoviensem, submonere velit, quo debitam sibi pecuniam sine mora argento exsolvat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, N. 896.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 901-902.

N. 2575.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Bernardo Wojewódka, civi Cracoviensi,  
excusationem eius de tardiore ad litteras responso acceptat; pro studiis in mit-  
tendo typographo adhibitis gratias agit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 903.

N. 2576.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
pro negotio suo de advehendo argento regi et episcopo Plocensi [Samueli  
Maciejowski] commendato gratias agit; ob eius ad domesticam vitam  
annuntiatam recessionem contristatum se esse nuntiat et timere, «ne  
absentia eiusdem multa Reipublicae commoda remoretur».*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 903-905.

N. 2577.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Annae Odrowąz, e ducibus Masoviae,  
de commendato sibi adulescentulo Georgio Łapanowski in servitorum suorum  
numerum accepto.*

(Latine)

Cfr. El., XXXVII, N. 894.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 905-906.

N. 2578.

E Regio Monte, 27.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
ob mortem reginae iunioris dolet; regem ex Polonia in Lithuaniam redeuntem  
in Masovia adire se velle nuntiat; Volmarum a Kunheim commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 906-910.

N. 2579.

E Regio Monte, 28.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
litterae credentiales pro Christophoro a Kreitzen (Creutzen).*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 910-911.

N. 2580.

E Regio Monte, 29.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Bielewicz et Ioanni Kmitya, gubernatoribus Samogithiae,  
Abrahamum Culvensem defunctum laudat; relictam ab eo suppellectilem matri  
eiusdem se libenter reddere nuntiat.*

Cfr. El. XXXVII, N. 897.

Iam partim ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XVIII, pp. 186-7.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K.1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 911-913.

Domino Ioanni Bilewitz et Ioanni Kmitya, gubernatoribus Samogithiae, 29 Iunii.

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifici ac Generosi, sincere nobis dilecti.

Litteras vestras, 13 mensis Iunii Widukli datas, accepimus, quae nobis non mediocrem maerorem attulerunt, quippe ex quibus cognovimus exitium ac eruditum, nobis fideliter dilectum Doctorem Abrahamum, sexta die huius extremum suum clausisse diem. Quod nobis quidem tristissimum accidit. Erat enim ea doctrina, eruditione, iis etiam moribus praeditus, ut ipsum nostrae recens instauratae Academiae magnopere profuturum sperassemus. Cum autem Deo Optimo Maximo (cuius nutu reguntur omnia) sic visum sit, ut ipsum ex hac terrena momentanea, plena tristitiae et aerumnarum vita ad perpetuam felicitatem et gaudia nunquam interitura evocaret, nos quoque (quis enim satis resistere posset?) omnipotentiae Dei, qui dixit omnes capillos capitis nostri numeratos esse et eorum sine voluntate Patris coelestis nullum decidere, hoc totum committimus certi, quod ipsum propter propagationem et confessionem verae religionis cum omnibus sanctis in die iudicii maxima cum laetitia visuri simus.

Quod ad suppellectilem illius attinet, etsi citra vestram intercessionem matri cognatisque proximis dicti Doctoris Abrahami facile libenterque concessuri eramus, vestris tamen moti precibus diligentius exequendum id curavimus dedimusque operam, ut per praesentium ostensorem, Stanislaum Vilcomiriensem, universam suppellectilem, quae reliqua fuerit post solutum aes alienum, quod quidem ab ipso Doctore Abrahamo, dum hic ageret, contractum est, accipiat. Hoc enim tum iustum, tum aequum et legitimum esse existimamus.

Extremo cum intelligamus Magnificentias Vestras a Sacra Regia Maie-

state, Domino et consobrino nostro charissimo, gubernatores terrae Samogithiensis constitutos, praeterire non potuimus, quin etiam atque etiam a vobis peteremus, ut amicitiam mutuam, benevolentiam et bonam vicinitatem colere velitis, neque ulla in re nostrorum subditorum mercimonia et negotiationes impedire ad terram Samogithiae, verum quemadmodum inde usque ab initio contractus et foederis servatum fuit, porro etiam, ut ea libera sint, curare. Hoc nos idem summa diligentia a nostris ut fiat, invicemque bona vicinitas conservetur, mandabimus ac clementer erga vos promereri studebimus. Bene et feliciter valet. Ex Regio Monte, 29 Iunii anno 1545.

Commissio Principis  
Referente Secretario  
Constantinus.

N. 2581.

*E Regio Monte, 29.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Elisabethae Jadathówna, matri Abrahami Culvensis,  
de morte filii ei condolet eamque consolatur.*

*(Annexum: inventarium librorum et supellectilis Abrahami Culvensis).*

*Cfr. El. XXXVII, N. 899.*

*Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XIX et XX.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 913-920.*

Elisabethae Hadathowna, Domini Doctoris Abrahami matri, 29 Iunii.

Salutem et clementiam nostram.

Honesta, sincere nobis dilecta.

Literas vestras, tristitiae et doloris plenas, non sine magna animi affectione accepimus. Ex quibus non modo eximii, sincere nobis dilecti Domini Abrahami, Iuris Utriusque Doctoris, lamentabile fatum cognovimus, verum etiam quod ex immatura eiusdem morte, tanquam mater de salute filii merito sollicita, acerbum vulnus acceperitis. Quae res aetati vestrae (quae per se satis aerumnarum secum adfert) gravissima est. Utinam autem diutius hoc vitae curriculum nobiscum vivere potuisset. Sperabamus enim, mediante Dei Optimi Maximi gratia, eruditionem et doctrinam eius, quae certe non vulgari erat praeditus, non tam Reipublicae, quam scholasticae nostrae iuventuti ac recens instauratae Academiae maxime profuturam. Cum vero summi parentis, in quo vivimus, movemur et sumus, ea voluntas sit, ut communem mortalium legem nemini evitare liceat, sed quandocumque nos vocarit Deus, hinc continuo emigrandum sit, non est, cur ob id, universi mortalium generis conditionem, inter tam densa iuvenum ac senum funera tantopere animo discruciemur. Ferendum enim est, quod mutari non potest. Consolemur nos eo, quod de Davide scriptum legimus. Cui simulatque pueri, quem unice diligebat, mors nuntiata esset, confestim solo se erexit, pulverem abstergens, lotus et mutato vultu alacris ad epulas accessit. Id factum mirantibus amicis, inquit: Spes erat fore, ut meo luctu

flexus Deus puerum meum servaret. Nunc nullis lachrimis ille ad nos revocari potest, nos ad illum brevi properabimus. Itaque quo inevitabilius fatum est, eo magis orandus est Deus, ut adversam hanc sortem et tristem casum patienti et moderato animo tolerare possimus, praesertim cum illud solaminis habeamus certaue nobis spes supersit nos ex hac vita, omnium periculorum, morborum et miseriarum plena, ad aeterna gaudia emigrare. Quod vero tantopere animum vestrum excruciat, filio unico, pietatis et doctrinae christianae studiosissimo, sepulturam in coemeterio <sup>a)</sup>, quem locum papistae et alii verae doctrinae adversarii consecratum habent, negatam esse atque in campum, pro explenda sua libidine, odio veritatis eiectum, non est, cur ob id tantum tristemini, cum constet eum propter cognitionem, propagationem et confessionem verae et sacrosanctae religionis etiam inter vivos existentem a persecutione non fuisse liberum, ut non mirum, si etiam in demortui cadaver saeviant nonnulli, quibus nihil aequae ac piis hominibus insultare <sup>b)</sup> cordi esse solet. Et quamvis in loco prophano sepeliri opinione hominum corpori molestum est, animae tamen, quae iam dudum beata quiete fruitur, aequae est salutare. Neque enim dubitamus a Deo, summo pontifice nostro, consecrata esse omnia, et certum est eundem vestrum filium, etsi hoc loco putrescat, cum omnibus sanctis aeterno piorum consortio in sinu Abrahae laetitia ineffabili perfrui. Cuius ut vita sancta et irreprehensibilis fuit, ita procul dubio ex his miseriis et aerumnis evocatus, veris apud Deum Patrem nunc affluit gaudiis.

Porro quod tantas nobis habetis gratias pro beneficiis, filio vestro collatis, iis certe opus ad nos erat. Quidquid enim factum a nobis est, totum id laborum, offitiorum ac studiorum suorum praemium fuit, daturique fuissemus operam, si diutius superstes fuisset, ne quid de clementia nostra desiderasset. Supellectilem apud nos relictam, quam vobis remitii petivistis, praesentium exhibitori, Stanislao Vilcomiriensi, una cum eiusdem inventario, quod legitimum et iustum esse duceremus, ad vos transvehendum dedimus. Si quid porro clementiae vobis exhibere possumus, dabimus operam, ne quid in nobis desideretur. Haec habuimus, quae vobis responsi loco rescribenda duximus. Deus Optimus Maximus faxit, ut bene valeatis. Ex Regio Monte, 29 Iunii anno 1545.

Commissio Principis  
Referente Secretario.

a) *in ms.* cimiterio

b) *in ms.* insultandi

Inventarium omnium librorum atque suppellectilis  
Domini Doctoris Abrahami:

Textus iuris civilis in 4 partes	Prutenicus libellus
Plinius. Livius	Aristoteles de historia animalium
Platonis opera Graece	Paraphrasis in duas epistolas Petri
Aristoteles in duas partes Graece	Urbani grammatica Graeca
Homerus cum commentario	Aristophanes Graece
Dioscorides Graece et Latine	Lactantius
L[aurantii] Vallae opera	Hesiodus cum commento
Apuleius cum commento Beroaldi	Ptolomaei geographici libri

Commentarius a) in Hesiodum	Polibius Graece
Ioannes Huss	Statuta S.R. Poloniae
Xenophontis opera in duas partes	Phisica Aristotelis
Luciani una pars	Quaestiones de anima
Epitome historica Vadiani	Postillae Latinae
Cicero de senectute et somnio Scipionis Graece	Virgilius
Hesiodus	Tabula in grammaticam Hebraicam
Sintaxis Philippi Melanchthonis	Grammatica Cingularii
Quaestiones musicae	Horatii epistolarum libri duo
Tragedia Euripidis	Dialectica Philippi Melanchthonis
Euripidis Rhesus	Psalterium Graecum et Hebraicum
Aesopus Graece et Latine	Cato
Psalterium Pomerani	Phisica Alberti Magni
Theocritus	Glarianus
Dictionarius Hebraicus	Acta Ratisbonensia
Sophoclis tragediae	Nicander Graece
Ptolomaeus cum tabulis	Philippi Melanchthonis dialectica
Isocrates	Francisci Philhelphi epistola
Grammatica Hebraica	Avicenna
Varro	Priscianus
Cato de re rustica	Anatomia
Columella	Arcula
Philippus Melanchthon in Daniele	Mappa magna
Aristotelis ethica Latine	Hesiodus
Dionisius	Grammaticorum Graecorum liber
Quaestiones dialecticae	Grammatica Diomedis
Erasmus de servo arbitrio	Philippus Melanchthon de anima
Theocritus cum commento	Annotationes in institutiones Iustianiani
Grammatica Graeca Philippi Melanchthonis	Suppellex
Grammatica Graeca Munsterii	4 cantari
Grammatica Graeca Philippi Melanchthonis	1 sponda
Plutarchus de educatione liberorum	1 pelvis cum mantili
Philippus Melanchthon in orationem pro Milone	2 orbi
Polonicus libellus	1 candelabrum
Oratio de vita Aristotelis et de interdito esu carni	1 mensa
Epistolae Hieronimi	1 cista
Tabula Hebraica coniugationum	1 lectus
Valla in Novum Testamentum	1 scutella
Valerius Maximus	3 pulvinaria
Paradigmata Ciceronis	2 sediles
	1 tapetum.

a) in ms. Camerarius

N. 2582.

*E Regio Monte, 29.VI.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Petro Kmita, palatino Cracoviensi,  
pro Nicolao Milasch.*



(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol.52, ff. 921-922.

N. 2583.

E Regio Monte, 30.VI.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Hlebowicz, palatino Vilnensi,*

*pro avi aucupio apta gratias agit; aucupem suum commendat; canem aucupio  
consuetum sibi mitti petit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol.52, ff. 922-924.

N. 2584.

Ioannisburgi, 8.VII.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Hlebowicz, palatino Vilnensi,*

*valetudinem suam in bono adhuc statu esse nuntiat; de bona eius valetudine  
gaudet; servitori eius fidem se adhibuisse significat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 924-925.

N. 2585.

Schippenbeyl (Sępopol), 25.VII.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Policki*

*de desiderio suo Stanislai Odrowqz defuncti coquum in servitutum suam  
suscipiendi.*

(Germanice)

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, f. 208.

N. 2586.

E Regio Monte, 26.VII.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,*

*de salvo conductu ad boves sine telonei solutione per ditiones regias pellendos  
servitori suo Antonio Lehwalt (vel Lehwalt) procurato gratias agit etc.*

(Germanice)  
(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).  
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 208-209.

N. 2587.

E Regio Monte, 27.VII.1545.

Albertus dux in Prussia  
Petro Dameraw Wojanowski  
de regis senioris valetudine certior fieri cupit; Volmarum a Kunheim, defunctae reginae Elisabeth servitorem, commendat.

(Germanice)  
(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).  
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 209-209v.

N. 2588.

E Regio Monte, 28.VII.1545.

Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Volmarum a Kunheim commendat.

(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 925-926.

N. 2589.

E Regio Monte, 28.VII.1545.

Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwill, M.D.L. marscalco,  
pro propenso in suos animo gratias agit; novitates sibi scribi petit.

(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 927-928.

N. 2590.

E Regio Monte, 29.VII.1545.

Albertus dux in Prussia  
Ioanni Wunsam, civi Cracoviensi,  
pro misso sibi argento et vino gratias agit.

(Germanice)  
(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).  
Ostpr. Fol., vol. 44, f. 210.

N. 2591.

E Regio Monte, 29.VII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Christophoro Konarski  
ob mortem reginae iunioris dolet.*

(Germanice)

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, f. 210v.

N. 2592.

E Regio Monte, 31.VII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Iosto Ludovico Decio, monetae regiae praefecto,  
de argento; de pileo Italico nondum accepto etc.*

(Germanice)

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 211-211v.

N. 2593.

E Regio Monte, 3.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
rogat, ut Francisco Thege, consiliario suo, plenam fidem adhibeat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 928-929.

N. 2594.

E Regio Monte, 3.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de conventus regundis finibus designati dilatione.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 930-932.

N. 2595.

*E Regio Monte, 3.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, Ioanni Tarnowski, Thomae Sobocki  
litterae credentiales pro Francisco Thege.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 929-930.*

N. 2596.

*E Regio Monte, 3.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
de nullo certo responso a rege habito ad subditas preces suas, ut edictum de  
non advehendo per Regnum Poloniae in Ducatum Prussiae argento abro-  
getur vel saltem mitigetur, queritur et negotium hoc suum ei iterum com-  
mendat; de morte immatura reginae Poloniae iunioris [Elisabeth] dolet.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 903.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 932-937.*

N. 2597.

*E Regio Monte, 6.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Andrae a Górka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo  
pro benevolentia Friderico ab Oelsnitz, curiae suae marscalco, exhibita gratias  
agit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 937-939.*

N. 2598.

*Neuhausen, 10.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Petrum Wojanowski, cubicularium regium, laudat et commendat; pro Ioanne  
Kempe intercedit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 939-941.*

N. 2599.

Neuhausen, 16.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
de morte reginae Poloniae iunioris [Elisabeth] dolet; pro novitatibus sibi signi-  
ficatis, praesertim de filio Ioannis olim Hungariae regis [Ioanne Sigi-  
smundo], gratias agit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat. cum dato: 17.VIII.1545, HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 941-942.

N. 2600.

E Regio Monte, 17.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de abrogatione edicti, quo severe prohibetur, ne argentum per Regnum Polo-  
niae in Ducatum Prussiae et alias regiones advehatur, a rege seniore non  
concessa, queritur et rogat, ut hanc causam suam porro sibi commenda-  
tam habere velit.*

(*Schedula I: pro Volmari a Kunheim regionum servitorum numero  
adscriptione gratias agit; schedula II: de sua futura in Germaniam pro-  
fectione regem certiore reddit.*)

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 943-951 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 214v-  
216v, sine schedula I).

N. 2601.

E Regio Monte, 17.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Ioannem Tirolf, marchionis Gulielmi archiepiscopi Rigensis servitorem, com-  
mendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 959.

N. 2602.

E Regio Monte, 17.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
pro scriptis novitatibus gratias agit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 960-961.

N. 2603.

*E Regio Monte, 17.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,  
de Volmaro a Kunheim in numerum servitorum regis iunioris accepto; de  
dolore suo, morte reginae iunioris provocato etc.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 212-212v.*

N. 2604.

*E Regio Monte, 17.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Stanislao Lasota  
pro significatis novis gratias agit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 952-953.*

N. 2605.

*Neuhausen, 18.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwili «Rufo», M.D.L. pocillatori,  
pro scriptis novitatibus gratias agit; ob mortem reginae iunioris iterum dolet.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 942-943.*

N. 2606.

*Neuhausen, 18.VIII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Łaski  
Epitomen eius se soli Philippo Melanchthoni cognoscendam iudicandamve  
tradidisse nuntiat.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 953-954.*

*Domino Ioanni in Lassko, XVIII Augusti.  
Scribit, quod soli Philippo Melanchthoni Epitomen communicaverit.*

Salutem et benevolentiam nostram.

Nobilis ac erudite, sincere nobis dilecte.

Superioribus literis nostris, ad XIX Maii datis, certiozem te facimus, qua de causa quove consilio Epitomen <sup>1)</sup> tuam intimis quibusdam nostris cognoscendam iudicandamve communicaverimus. Non alia sane ratione ducti, nisi quod tibi bene consultum cupiamus, quodque fama et existimatio tua nobis curae sit. Tametsi autem non obscure intelligas nos doctissimo viro Philippo Melanthoni communicasse, utpote qui ipse suum tibi iudicium (quemadmodum ad nos scribit) de ea Epitome patefecit, aut brevi certe perscripturus est, tamen ne existimes nos multorum iudicio pluribus de causis subiicere voluisse, significandum tibi duximus nos soli Philippo tradidisse iis condicionibus, ne in multorum manus pervenire pateretur. Quod quidem pro intimo suo erga nos studio factum esse non dubitamus. Quoniam autem ipse, quid in hac re faciendum tibi sit, consulit, nos pro nostro in te affectu, favore ac benevolentia (etsi ipse, quid expediat, probe perspicis) tibi honestis, utilibus et amicis monitis doctissimi viri acquiescendum censemus. Quod quidem hortari te volumus, non quod nostra monitione (qui es ingenio ad admirationem usque excelso) opus habeas, verum quod tibi clementer faveamus, tuaeque nobis res non mediocriter curae sint. Id quod certo tibi de nobis persuadeas. Bene feliciterque vale. Datae ex Nova Domo, ut supra.

Commissio Principis propria  
Constantinus.

1) *scil.* Epitome doctrinae ecclesiarum Phrisiae Orientalis, 1545.

N. 2607.

E Regio Monte, 26.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
senatui et iudicio Caunensibus  
Franciscum, tabernatorem in Labiau, commendat.*

(Latine)

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 954-955.*

N. 2608.

E Regio Monte, 28.VIII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de causa inter Marauniam, subditam suam, et Lucae Ketting, civis Gedanensis, heredes intercedente.*

(Latine)

(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166, cum nota sub textu: Mutatis mutandis Vicecancellario [Samueli Maciejowski] et Doctori Hosio.*)

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 955-958 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 216v-218).*

N. 2609.

E Regio Monte, 4.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Stanislao Stan, praefecto iudicii Caunensis,*  
*pro Viliperto Schultz, Ioannis a Pelcken plenipotente.*  
(Latine)  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 961-962.

N. 2610.

E Regio Monte, 4.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,*  
*de hereditate, a Stanislao Rapagelano, theologiae doctore defuncto, relicta.*  
(Latine)  
Iam ed. Th. Wotschke, *Abraham Culvensis, Beil. XXIII, pp. 191-2.*  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 962-964.

N. 2611.

E Regio Monte, 5.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Samueli Maciejowski, R.P. vicecancellario et, mutatis mutandis, Stanislao*  
*Hosio,*  
*de causa viduae Marauniae.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 964-966.

N. 2612.

E Regio Monte, 8.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,*  
*pro missis novitatibus gratias agit.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).  
Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 966-967.



N. 2613.

E Regio Monte, 8.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,  
de funere reginae iunioris a Petro Wojanowski sibi scriptum esse nuntiat; con-  
solationem a Deo regi precatur.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 218-218v.*

N. 2614.

E Regio Monte, 9.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de Petro Dameraw Wojanowski libenter a se excepto et exaudito; de Caspore  
Gnojeński, puero, numero servitorum suorum cooptato.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 968-969.*

N. 2615.

E Regio Monte, 10.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
explicat, quibus rationibus adductus aliquid fortasse durius ad regem scripse-  
rit; in Germaniam profecturus, uxorem filiamque suam regiae protectioni  
relinquit et commendat.*

*(Schedula: de nimia monetae multiplicatione).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat. solius schedulae, HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 970-974.*

N. 2616.

E Regio Monte, 10.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro Francisco Schier, culinae suae praefecto.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 974-975.*

N. 2617.

*E Regio Monte, 10.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł «Rufo», M.D.L. pocillatori,  
pro amica in se animi propensione gratias agit; nova sibi mitti petit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 969-970.*

N. 2618.

*E Regio Monte, 11.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Hieronymo Szafraniec, capitaneo Chęciniensi,  
filio et nepoti eius domum redeundi veniam libenter se daturum esse nuntiat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XLIX, N. 484.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, f. 976.*

N. 2619.

*E Regio Monte, 11.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
de responso in causa edicti, argentum per Poloniam in Prussiam transvehere  
prohibentis, a rege accepto; de suo futuro in Germaniam itinere.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 977-978.*

N. 2620.

*E Regio Monte, 11.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, R.P. vicecancellario,  
pro studio et conatu negotia sua promovendi gratias agit rogatque, ut eadem  
negotia sibi commendata habere pergat; petit, ut inclusas autographas lit-  
teras suas regi ad manus proprias tradendas curet; in Germaniam iter fac-  
turus, coniugem et filiam suam ei commendat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 902, 909.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 978-980.*

N. 2621.

E Regio Monte, 11.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Hlebowicz, palatino Vilnensi,  
pro Petro Schmitner, scabiño Regiomontano, cum Lucae Blumberg successo-  
ribus Vilnae causam habente.*

*(Sub textu: In simili forma scriptum est Senatui Vilnensi pro eodem  
Petro Schmitner).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 980-981.*

N. 2622.

E Regio Monte, 12.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Petro Dameraw Wojanowski  
Erhardum Heckelman, secretarium suum, commendat, ut aliquot lastos salis  
per M. Ducatum Lithuaniae libere transvehere possit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 219-219v.*

N. 2623.

E Regio Monte, 13.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Petro Zborowski, curiae regiae magistro,  
ad altiorem dignitatis gradum evecto gratulatur.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 981-982.*

N. 2624.

E Regio Monte, 13.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,  
de bobus iam sibi missis et adhuc mittendis.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 220v-221v.*

N. 2625.

*E Regio Monte, 14.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro Erhardo Heckelman, grammatophylacii sui secretario primario, intercedit  
et rogat, ut ei liberam, sine vectigalium exactione, salis transportationem  
per Lithuaniam concedere velit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 983-984 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 219v-  
220v).*

N. 2626.

*E Regio Monte, 16.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de negotio finium inter Lithuaniae et Prussiae Ducatus terminandorum.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 984-986.*

N. 2627.

*E Regio Monte, 18.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de auro et argento episcopo Sambienſi [Georgio Polentz] furto ablato.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 986-988.*

N. 2628.

*E Regio Monte, 18.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Fabiano Czema, succamerario Pomeraniae,  
de capitaneatu Czluchoviensi et Tucholiensi ei concedendo se ad regem scrip-  
sisse nuntiat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 221v-222.*

N. 2629.

E Regio Monte, 18.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Fabiano Czema, succamerario Pomeraniae,  
Ioannem Blum, civem Gedanensem, commendat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 222v-223.*

N. 2630.

E Regio Monte, 18.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,  
rogat, ut adnexas litteras ad Fabianum Czema et ad regem iuniorem eidem  
Czema tradat vel, si Czema ab aula abesset, litteras ad regem regi ad  
manus proprias porrigat.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 222-222v.*

N. 2631.

E Regio Monte, 20.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
Ioanne Kościelecki, palatino Lanciensi, capitaneo Czluchoviensi et Tucho-  
liensi, vita functo, Fabianum Czema ad capitaneatum Tucholiensem, et  
Petrum Dameraw Wojanowski ad Czluchoviensem commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 990-991.*

N. 2632.

E Regio Monte, 20.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Fabianum Czema et Petrum Dameraw Wojanowski commendat, ut in loco  
demortui Ioannis Kościelecki alter capitaneatum Tucholiensem, alter vero  
Czluchoviensem consequi possint.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 992-993.*

N. 2633.

*E Regio Monte, 20.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Francisco I regi Galliae  
magistrum Volfgangum Grefenthal, in Galliam proficiscentem, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 988-989.*

N. 2634.

*E Regio Monte, 20.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de auro et pecunia Georgio Polentz, episcopo Sambiensis, per quendam Christophorum Galusta (vel Galaska) ante biennium furto ablati.*

*(In conc. annectitur relatio Georgii Polentz).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 989-990.*

N. 2635.

*E Regio Monte, 21.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro Ioanne Blum, cive Gedanensi.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 993-995.*

N. 2636.

*E Regio Monte, 21.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Hlebowicz, palatino Vilnensi,  
pro Ioanne Blum, cive Gedanensi.*

*(Sub textu: Eadem forma scriptum est Praeposito Wilnensi et Secretario S.R. Maiestatis Iunioris).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 995-996.*

N. 2637.

*Riesenburgi (Prabuty), 24.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Andrae a Gôrka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo, ob mortem coniugis ei condolet; significat se, iter in Germaniam facientem, statuisset eum invisere et coram alloqui.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 906.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 999-1002 (etiam Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 223v-225v).*

N. 2638.

*Riesenburgi (Prabuty), 24.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Petro Dameraw Wojanowski*

*Ludovicum Falckenhain, filium Sebastiani Falckenhain, capitanei Riesenburgensis, commendat.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 223-223v.*

N. 2639.

*Riesenburgi (Prabuty), 25.IX.1545.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*de exercitu Friderici palatini Rheni et electoris (quinque milibus peditum, adiunctis aliquot centum equitibus), consilio et ope ducis Megapolensis [Alberti] in regionem Hadeln ad Albim in Saxonia, prope oppidum Lauenburg sitam, misso, «ut collectis hinc inde copiis vires suas erga Regnum Daniae experiretur».*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 996-999 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 227v-228v).*

N. 2640.

Riesenburgi (Prabuty), 25.IX.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,  
de bobis mittendis; de textili ad conficiendam vestem ei suppeditando.*

(Germanice)

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 225v-226v.

N. 2641.

E Regio Monte, 30.IX.1545.

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de Matthia Romaszkowicz, homicida, a complicitibus suis e manu carnificis vi  
liberato et in Ducatum Prussiae profugo, omnem se investigationem fac-  
turos esse nuntiant.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol., 52, ff. 1002-1004.

N. 2642.

Posnaniae, 4.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
pro Bonaventura Tenck, cive Toruniensi.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1004-1005.

N. 2643.

Posnaniae, 4.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro Bonaventura Tenck, cive Toruniensi.*

(Sub textu: In simili forma scriptum est mutatis mutandis Comiti a Tharnau, Andreae de Gorckau, Ioanni a Thanczin, Supremo Cancellario [Thomae Sobocki], Supremo Marschalco [Petro Kmita]).

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1005-1006.



N. 2644.

Jędrzejów (Putzig\*), 4.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Andree a Górka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,  
excusationem eius, quod ob somnum consiliarios suos per Posnaniam trans-  
euntes non visitaverit, supervacaneam fuisse significat.*

(Germanice)

Cfr. El. XXXVII, N. 910.

(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 226v-227.

\* pagus in districtu Czarnkoviensi, prope  
Noteć fluvium.

N. 2645.

Jędrzejów (Putzig\*), 4.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Ianussio Latałski, palatino Posnaniensi,  
pro Matthia Barthuski, sartore, ne eum ad opus rusticum compellat, quo arti  
suae sartoriae operam dare queat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1006-1007.

\* Sic in conc., in Ostpr. Fol.: Datae Monte.

N. 2646.

Jędrzejów (Putzig), 4.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Paulo Wolski, episcopo Posnaniensi,  
pro benevolentia in dioecesi eius ab officialibus eiusdem sibi exhibita gratias  
agit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1042-1043.

N. 2647.

S.l., 6.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Andree a Górka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,  
de itinere suo in Germaniam hactenus feliciter peracto.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1043-1044.

N. 2648.

Kottwitz, 10.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Andrae a Górká, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,  
rogat, ut sibi ignoscat, quod pro equo, famulo suo cognomine Kalb dato, non  
egerit gratias; scribit aliqua nova, praesertim de Henrico duce Brunsvi-  
censi, qui in Ducatum suum Brunsvicensem amissum militari manu  
irruit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1007-1008.*

N. 2649.

E Regio Monte, 17.X.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Krotoski (in conc. Heredi in Lobzienicza)  
tres falcones dono mittit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1008-1009.*

N. 2650.

E Regio Monte, 18.X.1545.

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis  
Sigismundo I regi Poloniae  
nomine ducis Alberti, in Germaniam profecti, postulatis eius ad proxima  
Regni Comitata relectis, ob longiorem eius a Ducatu suo absentiam, eadem  
eius negotia, scil. ut interdictum regium de non exportando per Regnum  
Poloniae argento abrogetur et argentum ducis, in castellanatu Posna-  
nienti per Albertum Rychwalski raptum, restituatur, commendant.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1019-1022 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 229-  
230).*

N. 2651.

E Regio Monte, 18.X.1545.

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis*

*Stanislao Hosio,*

*rogant, ut negotia ducis in proximis Regni Comitibus tractanda regi commendet.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1025-1027.*

N. 2652.

E Regio Monte, 21.X.1545.

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis*

*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, et Stanislao Hosio*

*de causa viduae Marauniae.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1009-1010.*

N. 2653.

Naumburgi, 27.X.1545.

*Albertus dux in Prussia*

*Andree a Gorka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,*

*de itinere suo in Germaniam feliciter peracto; de Ducatu Brunsvicensi a duce*

*Henrico vi repetere volente etc.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1044-1045.*

Comiti de Gorckau, XXVII Octobris.

Singularis atque mutua inter nos coniunctio omnino facit, ut praetermittere minime possimus <sup>a)</sup> Magnificentiae Vestrae tam peracti nobis itineris, quam <sup>b)</sup> praesentis status successum significare. Quod quidem iter satis foelix atque prosperum fuit, foeliciterque ad XX Octobris Naumburgam pervenimus. Pro qua divina clementia ac benignitate Deo Optimo Maximo debitas ex animo gratias agimus. Non minus et ardentem precamur, ut pro divina sua bonitate, confectis ex animi sententia negotiis, discessum hinc nostrum reditumque ad Magnificentiam Vestram aequae fortunet atque clementer largiatur, quo Vestram Magnificentiam salvam, sanam atque incolumem revisere nobis contingat. Quod quidem brevi futurum speramus.

Caeterum proximis nostris literis Magnificentiae Vestrae inter caetera significavimus Ducem Henricum Braunsvicensem ad reparandum atque occupandum amissum Ducatum arma suscepisse. Is primo impetu arces aliquot oppugnavit atque obtinuit. Adversus eam <sup>c)</sup> vim Dux Mauritius <sup>1)</sup> atque Landgravius instructo <sup>d)</sup> exercitu, adiunctis Ducis Saxoniae Electoris <sup>2)</sup> copiis, insurrexere. Successum vero atque eventum huius tumultus

Magnificentia Vestra ex literis tam Ducis Saxoniae Electoris, quam aliorum, quarum exemplar Vestrae Magnificentiae transmittimus, cognoscet. Excusabit nos temporis angustia, quominus praedictae literae in Latinum translatae sunt. His et omnibus aliis Magnificentiae Vestrae gratificari perpetuo parati sumus. Dominus noster Magnificentiam Vestram salvam et incolumem conservet, regat et gubernet. Datae Naumburgae, ut supra.

a) *in ms.* possumus

b) *in ms.* que

c) *in ms.* cum

d) *in ms.* instructu

1) *dux Saxoniae.*

2) *Ioannes Fridericus.*

N. 2654.

*E Regio Monte, 11.XI.1545.*

*Consilarii Alberti in Prussia ducis  
Sigismundo I regi Poloniae  
pro vidua Martini Hermensdorff.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1017-1019.*

N. 2655.

*E Regio Monte, 11.XI.1545.*

*Consilarii Alberti in Prussia ducis  
Stanislao Hosio et Samueli Muciejowski, episcopo Plocensi,  
pro vidua Martini Hermensdorff.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1011-1017.*

N. 2656.

*E Regio Monte, 20.XI.1545.*

*Consilarii Alberti in Prussia ducis  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de nave quadam ex Norvegia, cerevisia Sundensi et Rostochiana aliisque rebus  
onusta, in capitaneatu Cleipodiensi, prope pagum quendam Nimmersath  
nuncupatum naufragium passa, a capitaneo Polangensi intercepta, que-  
runtur et rogant, ut dicto capitaneo severe mandare velit, quo res ablatas  
«et quod praeterea aequitas postulat» integre restituat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1027-1033 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 231v-  
233v).*

N. 2657.

*Cleipodiae (Memel\*)*, 20.XI.1545.

*Ernestus a Rechenberg, capitaneus Cleipodiensis (Memelensis)*  
*Hieronymo Chodkiewicz, castellano Trocensi, capitaneo Samogitiae,*  
*de nave naufraga, Sundensi et Rostocensi cerevisia onusta, a capitaneo Polan-*  
*gensi in districtu Cleipodiensi intercepta.*

(Latine)

Cjr. El. XXXVII, N. 912.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1031-1033 (etiam Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff.  
233v-234v.

<sup>\*</sup>In textu Germ.: Datum Königsberg.

N. 2658.

*Hallae*, 28.XI.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo I regi Poloniae*  
*pro episcopo Sambieni [Georgio Polentz], ut res sibi furto ablatas recuperare*  
*possit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 1046.

N. 2659.

*Hallae*, 29.XI.1545.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*Valentinum Hanaw commendat, ut in numerum custodum corporis regis reci-*  
*piatur.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, f. 1047.

N. 2660.

*E Regio Monte*, 2.XII.1545.

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis*  
*Stanislaw Hosio*  
*de causa Marauniae et Martini Hermensdorff viduae.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167, et Germ., HBA, B, K. 1166).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1034-1042 (etiam Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff.  
236-241).

N. 2661.

*E Regio Monte, 3.XII.1545.*

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis  
Iosto Ludovico Decio, Ioanni Patzko et Ioanni Wunsam  
de vinis ad usum aulae ducis suppeditandis.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 234v-235.*

N. 2662.

*E Regio Monte, 3.XII.1545.*

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis  
Stanislao Hosio  
de negotio Marauniae et Hermensdorff viduarum.*

*(Adest conc. Germanicum, HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 236v-240.*

N. 2663.

*E Regio Monte, 10.XII.1545.*

*Consiliarii Alberti in Prussia ducis  
Senatui Cracoviensi  
Matthiam Andres, civem Regiomontanum, commendant, ut hereditatem, a  
defuncto fratre suo Nicolao, cive Cracoviensi, relictam, consequi possit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1166).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 236-236v.*

N. 2664.

*Międzyrzecz, 22.XII.1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
pro civibus Międzyrzecensibus intercedit, qui privilegia sibi a rege concessa,  
praesertim causa Iudaeorum, ad nihilum redacta esse conqueruntur.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).*

*Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1047-1050.*

*Regi Seniori, XXII Decembris.*

*Serenissime Rex, Princeps Clementissime.*

*Cum iam in meo reditu ex Germania, Serenissime Rex et Avuncule  
dilectissime, perveni in Regiae Vestrae Maiestatis civitatem Mezericz,  
oblatae et redditae sunt mihi a S.R.V. Maiestatis subditis Mezericzensibus*

literae supplices, in quibus mihi indicaverunt privilegia, quae a R.V. Maiestate acceperunt post cladem olim in bello acceptam, ne civitas eorum omnino solo aequata iaceret, infringi. Primo, ut nulli Iudaei ibi habitarent aut eo convenirent. Deinde, ne plus darent pro censu et tributo, quam viginti marcas Pragenses. Nunc autem conqueruntur, quod privilegia, quae a S.R.V. Maiestate acceperunt, ab illis, qui praesunt a R.V. Maiestate ordinati, fere ad nihilum redacta sint, ut cogantur ferre Iudaeos in sua civitate habitantes et civitatem multis incommodis et damnis prementes, praecipue vero usura expilantes cives et in mercatura eos multis modis impediens. Nam et ille conventus, qui olim habitus est mercaturae causa singulis septimanis die Sabbati, mutatus est propter Iudaeos, ut iam habeatur in die Lunae. Quod fit (ut ad me retulerunt) cum maximo damno civitatis et civium. Deinde quod census et tributum aucta sint, ut iam cogantur singulis annis dare quadraginta aureos Hungaricos in auro, aut tot in moneta. Postremo ad me retulerunt, quod etiam premantur ab abbate Pleczaviensi <sup>1)</sup>, ne illis liceat parare ligna necessaria ad pontes resarciendos et ad aedificia civitatis in R.V. Maiestatis sylva vel, ut vulgo vocant, in deserto, et quod ligna iam ad usum praeparata ab abbatibus Pleczaviensis subordinatis ministris auferuntur. Insuper quod et abbas dictus in R.V. Maiestatis terminis eiusdem sylvae praedium aedificaverit Roegin nomine, ad maximum damnum et civitatis et civium, ex quo prohibet, ne et pauperes et divites habere possint ligna, ut iam olim habuerunt.

Ob has causas privilegiorum, quae a R.V. Maiestate acceperunt, a me petierunt, ut ad R.V. Maiestatem scriberem eorum nomine et peterem a R.V. Maiestate, ut ista iam dicta privilegia possent restitui in integrum, ne civitas eorum et cives tandem in tantam paupertatem et inopiam redigerentur, ut non tantum in digno statu retineri non possint, sed etiam in maiorem calamitatem perveniant, quam in ullo bello acceperant. Hanc petitionem R.V. Maiestatis subditorum, civium Mezericzensium, illis denegare non potui, cum mihi videbantur iusta petere. Rogo igitur meo et illorum nomine S.R.V. Maiestatem, quo ista privilegia, olim a Regia V. Maiestate accepta, a R.V. Maiestate in integrum restituantur, et ut possint esse tuti a vi et iniuria abbatis Pleczaviensis, ut habeant ligna in Sacrae Regiae Maiestatis sylva ad aedificia, ut supra dictum est, necessaria. Ipsi Mezericzenses promittunt suam, quam R. Vestrae Maiestati debent, humillimam semper obedientiam, quam et antea R. Vestrae Maiestati exhibuerunt, et deinde precationem ad Deum Optimum Maximum pro R. Vestra Maiestate et totius Regni salute et incolumitate. Ego quoque, si hoc a R. Vestra Maiestate, quod iam peto, impetravero, summis studiis demereri conabor. Datum Mezericz, ut supra.

1) scil. abbas Cisterciensium in oppido Bledzew.

N. 2665.

Posnaniae, 26.XII.1545.

*Albertus dux in Prussia  
Stanislao Łaski, palatino Siradiensi,  
pro Henrico Storch, cive Posnaniensi.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1167).

Ostpr. Fol., vol. 52, ff. 1050-1051.

N. 2666.

*Schirmensell, s.d., 1545.*

*Albertus dux in Prussia  
Henrico Storch, civi Posnaniensi,  
de pugione quodam («tolch») apud Iudaeos et aurifices Posnanienses et Gne-  
snenses clam quaerendo.  
(Germanice)  
Ostpr. Fol., vol. 44, f. 241-241v.*



# 1546

N. 2667.

*Riesenburgi (Prabuty), 3.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*Achatium Czema laudat et commendat, ut in locum palatini Marienburgensis defuncti [Georgii Bażyński] surrogetur.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168, cum dato: 4.I.1546.)*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 7-8.*

N. 2668.

*Riesenburgi (Prabuty), 3.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*bonum annum novum precatur; de regis meliore valetudine gaudet; pro benevolentia regis in archiepiscopum Rigensem [Gulielmum marchionem Brandenburgensem] gratias agit.*

*(Germanice)*

*(Adest conc. Germ., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 242-242v.*

N. 2669.

*Pasłęk (Hollandt), 8.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, electo Cracoviensi,*

*Achatium Czema ad palatinatum Marienburgensem commendat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 923.*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 8-10.*

N. 2670.

E Regio Monte, 8.I.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Patzko (vel Patzke), civi Cracoviensi,  
scire cupit, quid Alberti iunioris, marchionis Brandenburgensis, legati secum  
attulerint.*

(Germanice)

*Ostpr. Fol., vol. 44, f. 243.*

N. 2671.

E Regio Monte, s.d. [post 11.I.1546.].

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de negotio Ioannis Cromeri, civis Iurborgensis, et Leonardi Wille (vel Wilde),  
civis Gedanensis.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 113-116.*

N. 2672.

E Regio Monte, 12.I.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae et (mutatis mutandis) Ioanni Tarnowski  
Melchiorem Adler commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 10-11.*

N. 2673.

E Regio Monte, 18.I.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
felicem annum novum ei exoptat; Petrum Dameraw Wojanowski, aulicum  
regium, omnia sibi a rege mandata diligenter exsecutum esse nuntiat: «il-  
lustrum virorum et mulierum hierarchiae Germanicae cum eorum  
progenie effigies veras et aetates, nomina et cognomina» ei mittere pol-  
licetur: pro rebus episcopi Sambiensis [Georgii Polentz] recuperandis et  
iustitia archimagiro suo administranda gratias agit.*

(Schedula: 4 canes venaticos dono mittit).

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 306.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 11-14.*

N. 2674.

E Regio Monte, 18.I.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Petro Zborowski, curiae regiae magistro,  
pro gratulatione ob altiore dignitatis gradum ei collatum tanta gratiarum  
actione opus non fuisse censet (cfr. N. 2623); rogat, ut se regi commenda-  
re velit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 14-15.

N. 2675.

E Regio Monte, 20.I.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de suo felici ex Germania reditu nuntiat; pro patrocinio et tutela uxoris et  
filiae suae se absente a rege suscepta gratias agit; scribit aliquos rumores  
de Ordinis Theutonicorum hostilibus in terras suas moliminibus.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 15-17 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 243-244).

N. 2676.

E Regio Monte, 20.I.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,  
rogat, ut sibi indicare velit, quo et quando arma iam parata regi mittere  
debeat.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 28.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 246-246v.

N. 2677.

E Regio Monte, 22.I.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de argento episcopo Sambiensis, Georgio Polentz, furto ablato.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 17-18.

N. 2678.

*E Regio Monte, 23.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae  
rogat, ut episcopo Sambieni [Georgio Polentz] in recuperanda pecunia furto  
ablata auxilio sit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, f. 246v.*

N. 2679.

*E Regio Monte, 23.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
episcopo Cracoviensi [Samueli Maciejowski] et (mutatis mutandis) archiepi-  
scopo Gnesnensi [Nicolao Dzierzowski]  
iterum de argento episcopo Sambieni, Georgio Polentz, per quendam Galasta  
furto ablato.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 18-19.*

N. 2680.

*E Regio Monte, 23.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Stanislao Lawski, vexillifero Varsaviensi,  
Volfgangum ab Haydeck, capitaneum Rastenburgensem, et Henricum Krösten,  
vicecapitaneum Cleipodiensem (Memelensem), delegisse se nuntiat, ut  
limites bonorum eius in Prussia sitorum emetiantur.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 20-21 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 247-247v).*

N. 2681.

*E Regio Monte, 26.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Franciscum Demekruger, subditum suum, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 21-22.*

*Albertus dux in Prussia*

*Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, nominato Cracoviensi, de Ordinis Theutonicorum adversus utramque Prussiae partem moliminibus refert et rogat, ut periculorum, praesertim civitati Gedanensi inde imminentium, regem admoneat.*

*Cfr. El. XXXVII, N. 923.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 22-25, (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 247v-249).*

Episcopo Cracoviensi ac Plocensi pro civitate Gedanensi, XXVI Ianuarii.

Princeps in hac epistola admonet Episcopum Cracoviensem, ut magnitudinem periculorum, quae Regno Poloniae imminent, ad Serenissimum Regem deferat, quo ulterius Respublica Gedanensis illa tranquillitate et quiete frui possit.

Syncerum fraternique animi affectum et quicquid porro grati praestare possumus.

Reverende in Christo Pater, Amice ac Frater perchare.

Reverendae Vestrae Paternitati omnia fausta foeliciaque precamur, quam salvam et incolumem esse ex animo optamus, Deum omnipotentem precantes, is novum hunc annum R.V. Paternitati foeliciter illucescere faxit.

R.V. Paternitatem amice ac fraterne celare non possumus nos proxime in Imperio Romano cognovisse Ordinem Teutonicorum in molestanda utraque parte terrarum Prussiae nihil intentatum relicturum. Ad quam rem commodius conficiendam S. Caesaream Maiestatem Romanorum nomine Ducatus Mazoviae et aliorum auxilia sua pollicitam affirmant. Quod si haec consilia effectum suum (quod Deus avertat) nanciscantur, pendat Reverenda Paternitas Vestra secum, quantum inde periculi ad priora mala non tam inclito Poloniae Regno, quam confoederatis accessurum sit. Et si quid mari tentabitur (de quo minime dubitandum, cum illud sine gravi impedimento factu sit facile magnaue adsit loci oportunitas), nonne una Gedanensis civitas navibus, populo aliisque rebus necessariis plus altera harum terrarum Prussiae parte praestare posset? Iam vero non dubitamus, quin R. Vestra Paternitas recenti adhuc teneat memoria, quanti momenti negotium Gedanenses apud S. Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum et avunculum charissimum, de districtu Pauczki habeant. Et quamvis anno superiore R. Vestrae Paternitatis ope et promotione usi fuerint, minus tamen id negotii, quemadmodum tunc temporis edocti sumus, pro voto terminari potuit. Cum itaque civitas Gedanensis, ut supra dictum est, multum inservire possit, ex animo cuperemus eam hoc onere levare. Et praecipue ob hanc causam, quod ea civitas tam S. Regiae Maiestati Seniori, quam Iuniori, Dominis et consanguineis nostris clementissimis, incidentibus quibuscumque periculis toto animo et cum quadam voluptate inservire et commodo esse magis incitarentur et eo essent alacriores. Id, quod S. Regiae Maiestati Iuniori periculosus hisce temporibus, ut se nunc casus offerunt, nostro iudicio necessarium esse arbitramur. Nam si praedicta consilia effectum suum consequerentur et huius civitatis ea in re subsidio destitueremur, timendum profecto esset, ne

hostes, tanta occasione rei locique adiuti, voti sui compotes efficiantur. Cui malo non immerito nostro iudicio omnibus viribus occurrendum censemus.

Cum itaque S. Maiestas Regia, citra detrimentum autoritatis suae regiae et attenuationem fisci, animos subditorum sibi devinctissimos redere et nihilominus, Deo iuvante, praedictis periculis resistere possit, non diffidimus Serenissimam eius Maiestatem Regiam se in omnibus clementem exhibituram, quantumque necessitas postulat, huius civitatis conditionibus diligentius examinatis, hanc ipsam legationem hilari animo a se dimissuram. Reverendam vero Paternitatem Vestram amice ac fraterne petimus, dignetur totius huius negotii conditionem et periculorum magnitudinem (quemadmodum hactenus facere consuevit) ad emolumentum inclytae Poloniae Coronae eiusque confoederatorum bene perpendere et considerare, atque in hoc sua promotione incumbere, quo tandem Gedansium Respublica optata quiete frui possit, nec tantis sumptuum profusionibus, quibus ad imminentes casus parcere debebat, in posterum oneretur. Iterum atque iterum vehementer petentes, ut R. Vestra Paternitas, praedictorum periculorum conditionibus (quas R. Vestrae Paternitati fraterne ac fideli animo communicamus) consideratis, hanc civitatem, quae incidentibus praefatis periculis multum prodesse potest, sibi commendatissimam habere velit, quo mediante Dei Optimi Maximi gratia et fideli R. Vestrae Paternitatis promotione patrocinate, hoc negotio posthac minus molestata quiescere possit, utque praedicta auxilia (in quo tempore necessitatis multum spei collocandum est) eo officiosius et promptius praestentur.

Quicquid huic negotio R. Vestra Paternitas operae, auxilii, curae, studii ac diligentiae adhibuerit, id omne e re inclytae Coronae Poloniae fore arbitramur, illudque eo animo amplectemur, ac si in nos collatum sit, sicubi etiam amice ac fraterne promereri poterimus, dabimus operam, ne quid de nostro studio et conatu desideretur. Civitas vero ipsa, quod fideles decet subditos, non tam erga S. Regiam Maiestatem inclytumque Poloniae Regnum, quam R. Vestram Paternitatem aliosque bene illi volentes, debita subiectione promptisque officiis obsequentem et gratam sese exhibebit. His Reverendam etc. Datum Regio Monte etc.

A. Muntzer  
Commissio Principis propria  
Constantinus.

N. 2683.

*E Regio Monte, 27.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
rogat, ut argentum sibi a quodam Alberto Rychwalski ablatum opera regis  
interposita tandem restituatur.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 26-28 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 249-251).*

N. 2684.

*E Regio Monte, 27.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
de negotio Gedanensi et Ordinis Theutonicorum moliminibus.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 919.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 29-32.*

N. 2685.

*E Regio Monte, 27.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Hieronymo Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,  
Hermannum a Bommel, civem Cleipodiensem (Memelensem), commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 35-36.*

N. 2686.

*E Regio Monte, 27.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,  
aliquot equos valachos sibi mitti petit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 251-251v.*

N. 2687.

*E Regio Monte, 28.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Iosti Ludovici Decii defuncti amicis  
mortem Decii dolet.*

*(Schedula: pro promissis sibi vinis gratias agit).*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 252-252v.*

N. 2688.

*E Regio Monte, 28.I.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Sieniawski, palatino Belsensi,  
equum cantherium sibi mitti petiit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 924.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 34-35.*

N. 2689.

*E Regio Monte, 5.II.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de causa Ioannis Cramer, civis Jurborgensis, cum Leonardo Wilde, cive Geda-  
nensi.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 257-259.*

N. 2690.

*E Regio Monte, 5.II.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Andreae a Górká, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,  
Henricum Felckner (vel Falckner), servitorem suum, commendat et rogat, ut ei  
in negotiis suis pecuniariis Leopoli expediendis auxilio sit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 32-34 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 253-253v).*

N. 2691.

*E Regio Monte, 5.II.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
Ioannem a Werden, senatus populique Gedanensis ed regem legatum, com-  
mendat et rogat, ut ei in promovendo civitatis Gedanensis negotio auxilio  
sit; negotia quoque sua ei commendat.*

*(Latine)*

*Cfr. El., XXXVII, N. 919.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 36-37.*



N. 2692.

E Regio Monte, 5.II.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Samueli Maciejowski, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario, Ioannem a Werden, legationis Gedanensis ad regem destinatae caput, commendat.*

*(Schedula: de libero transitu argenti in exteris ditionibus empti a rege impetrando).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 923.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 37-39 (schedula etiam Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 254-254v).*

N. 2693.

E Regio Monte, 7.II.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*de morte Georgii Bażyński (a Baysen), palatini Marienburgensis et capitanei Mevensis, dolet et unicum demortui filium superstitem [Ioannem] commendat, ut capitaneatum Mevensensem pro vitae tempore obtinere possit.*

*(Sub textu: Mutatis mutandis Episcopo Plocensi ac Cracoviensi Palatino [Samueli Maciejowski et Petro Kmita], Comiti a Tharnow).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 40-41.*

N. 2694.

E Regio Monte, 10.II.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*Alexandrum Sculteti (Schulteti) commendat, ut de intentato sibi crimine se purgare queat.*

*(Sub textu: Mutatis mutandis Episcopo Cracoviensi [Samueli Maciejowski]).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 42.*

N. 2695.

E Regio Monte, 18.II.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*rogat, ut Caspari a Lehendorff nomine suo loquenti plenam fidem adhibeat.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat. epistulae ducis Alberti et conc. Germ. instructionis  
Caspari a Lehendorff datae, HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, f. 43.

N. 2696.

E Regio Monte, 19.II.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Petro Zborowski, curiae regiae magistro,*  
*pro litteris summa humanitate plenis gratias agit; benevolentiam suam et ser-*  
*vitia offert.*  
(Latine)  
Cfr. El. XXXVII, N. 918.  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 43-44.

N. 2697.

E Regio Monte, 19.II.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,*  
*pro negotiorum suorum apud regem iuniorem expeditione gratias agit; quod*  
*canes dono missi regi placuerint, gaudet; arma et equum dono mittit.*  
(Germanice)  
Cfr. El. XLIII, N. 29.  
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 254v-255.

N. 2698.

E Regio Monte, 20.II.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Ioanni Hornostaj*  
*de valetudine eius certior fieri cupit; novitates sibi scribi petit.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 44-45.

N. 2699.

E Regio Monte, 28.II.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de annuo stipendio Marienburgi sibi numerando.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 310.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 45-46.

N. 2700.

E Regio Monte, 28.II.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Spytconi Tarnowski, R.P. thesaurario,  
de annuo stipendio ex thesauro regio Marienburgi sibi numerando.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, f. 47.

N. 2701.

[E Regio Monte], 1.III.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Patzko, civi Cracoviensi,  
pro vinis sibi missis gratias agit; argentum clam sibi suppeditari iubet.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 255-256.

N. 2702.

E Regio Monte, 10.III.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Hieronymo Chodkiewicz, capitaneo Samogitiae generali,  
Mauritium a Perskau, tenutarium quondam Tilsensem, commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 48-49.

N. 2703.

E Regio Monte, 12.III.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Andreae Zebrzydowski, episcopo Vladislaviensi et Pomeraniae,  
pro propensa erga se voluntate gratias agit; Alexandrum Kurzbach se libenter  
auditurum esse nuntiat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, N. 921.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 49-50.

N. 2704.

E Regio Monte, 13.III.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Stanislao Ławski, vexillifero Varsaviensi,  
de negotio limitum inter bona eius et Ducatum Prussiae terminandorum et de  
commissariis ad hanc rem conficiendam designandis.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 256v-257.

N. 2705.

E Regio Monte, 18.III.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Ioannem Rexin adolescentem, subditum suum, commendat, ut in regionum  
servitorum numerum cooptetur.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 50-51.

N. 2706.

E Regio Monte, 30.III.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Ioannem Pernecker et Conradum Lanckaw, municipes Cnipavienses, in nego-  
tiis eorum mercatoriis commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 51-52.

N. 2707.

*E Regio Monte, 10.IV.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de annuo suo stipendio Marienburgi sibi numerando.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 310.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 53.*

N. 2708.

*E Regio Monte, 10.IV.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Plocensi, nominato Cracoviensi,  
pro auxilio, ad intercessionem suam non solum magistratui Gedanensi,  
etiam Achatio Czema et Ioanni a Werden libenter lato, gratias agit; de  
palatinatu Marienburgensi Achatio Czema dato gaudet; pro libero transitu  
servitoribus suis a praefecto Posnaniensi impetrato gratias agit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 926.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 54.*

N. 2709.

*E Regio Monte, 13.IV.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
cives et mercatores Posnanienses, in publico Lublinensi mercatu a quodam  
Ambrosio Michowski magnam iniuriam passos, commendat.*

*(Sub textu: Mutatis mutandis Comiti a Gorckau, Comiti a Tantzin ).*

*(Schedula litteris ad Ioannem Tarnowski adiuncta: rogat, ut eisdem mer-  
catoribus non solum damna resarciantur, sed etiam libertas mercandi et  
negotiandi intacta servetur).*

*(Sequitur supplicatio mercatorum Posnaniensium, ed. in: El. XLV, N.  
55).*

*Cfr. El. XLV, N. 55.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 55-61.*

N. 2710.

E Regio Monte, 17.IV.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Spytconi Tarnowski, R.P. thesaurario,  
de annuo suo stipendio.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 61-62.*

N. 2711.

E Regio Monte, 18.IV.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
pro Hermanno Schmidt, civitatis Gedanensis municipe, ut a palatino olim  
Russiae, Ioanne Tęczyński, detentam sibi in vectigali pecuniae summam  
recuperare possit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 65-66.*

N. 2712.

E Regio Monte, 19.IV.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
responso regio in re monetaria sibi dato valde turbatus, rogat, ut rex edictum  
de interdicenda moneta sua retractare velit.*

*(Schedula: rogat, ut commissarii ad regundos fines constituentur).*

*Cfr. El. XXX, N. 309.*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 102-113 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 261-265v).*

Regi Poloniae Seniori, XIX Aprilis.

Diese copei ist zur Wille also lange vorblieben, habe sie hernach regi-  
strirt.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae literas, Cracoviae XXIII Martii prae-  
sentis huius anni datas, per nuntium eiusdem debita cum reverentia ac  
subiectione accepi earumque sententiam non sine gravi animi mei pertur-  
batione atque sollicitudine cognovi. Intellexi enim, quod dum contractus  
initos prioresque in hoc negotio tractatus ac recessus, mea privilegia,  
immunitates considero et animo perpendo, graviores in me dici iniuriae  
maioraque gravamina mihi imponi non possint, quam S.R. Vestrae Maie-  
statis literis ac edicto illo, quod de exterminanda moneta mea publican-  
dum mandavit, illatum est. Hisce enim omnium primum S.R. Vestra Maie-

stas significat me procul dubio adhuc recenti tenere memoria, quanta contentione hactenus fuerit persaepe ab ipsa flagitatum, ut et ipse, posteaquam S.R. Vestra Maiestas monetam cudere desiit, a cudendo supersedem, propterea quod ex multiplicata moneta Regnum ditionesque S.R. Maiestatis Vestrae detrimentum non minus, ac si bellico aliquo exercitu essent oppressae, caperent. Ideoque S.R. Maiestas Vestra, communi omnium Regni ordinum et statuum sententia, consilio atque consensu, per publicum edictum monetam meam e Regno exterminare mota, id quod hisce literis mihi significandum duxit. Equidem S.R. Maiestatem Vestram apud me de malleo monetario ponendo saepius instituisse probe recordor. At vicissim eandem ipsam quoque non oblitam existimo, quid responsi tum temporis, quod non tam mea, quam meorum convasallorum terrarumque ac subditorum urgente inevitabili necessitate datum, S.R. Maiestas Vestra obtinuerit, ita ut minime sperem me ullo unquam iure aut quavis aequitate posse eius rei accusari. Cuius tamen in his S.R. Vestrae Maiestatis literis, quam publico hoc edicto, non quidem sine maximo animi mei dolore, insimulari videor, quasi hac ipsa mea moneta S.R. Vestrae Maiestatis Regnum ditionesque damno irrecuperabili afficiam. Ego enim citra iactantiam ingenue profecto profiteri atque attestari ausim, me fidem meam datam ac debitam erga S.R. Maiestatem Vestram ac inclytum Poloniae Regnum ab eo usque tempore, quo eisdem devinctus et obligatus esse cepi, non modo nulla ex parte violasse, verum etiam, uti fidelem, ingenuum, honestatis iustitiaeque amantem decet Principem, in ea constanter stetisse. Parem autem aequamque fidem atque curam in moneta mea cudenda praestiti, quae si non S.R. Maiestatis Vestrae monetam aliorumque ordinum, qui iure ac speciali privilegio cudendam habent, praestet atque antecellat, certe ipso valore, grano atque aestimatione iuxta contractus ac pactiones, quae S.R. Maiestatis Vestrae legatorum praesentia, consilio, auctoritate et consensu initae atque confirmatae sunt, conferendam eam atque aequiparandam esse optimo iure affirmo.

Cum igitur meae monetae bonitas et aequalitas, pondus, valor et aestimatio manifesto certoque constet ipsaque experientia testetur, non probam, sed adulterinam et pravam monetam Reipublicae detrimentosam esse, ut taceam interim (quod quidem palam et luce clarius est) me non proprio motu ac temerario ausu eo deductum, ut moneta mea aequi valoris cum ea, quae in Regno Poloniae cuderetur, esset. Quin imo S.R. Maiestatis Vestrae suasu, auctoritate ac iussu ad abrogandam veterem et faciendam ac signandam novam pecuniam adductus et quodammodo coactus sum, credens eam non minus in Regno Poloniae, Ducatu Mazoviae aliisque R.S. Maiestatis Vestrae ditionibus, quam in his Prussiae terris usitatam fore, quemadmodum a S.R. Maiestate Vestra publicatis, excusis et obsignatis edictis severe cautum fuit. Et quamvis multas subinde causas et rationes neque eas inanes prorsus adducerem, quantum damni et incommodi ex alteratione monetae meae secuturum esset, nam hercle meis terris ac subditis, quibus a singulis grossis omnium suorum proventuum duo tresve denarii decedebant, non minus damni haec alteratio monetae attulit, quam si hostilem aliquem exercitum experti essent. Quod quidem incommodi praedictis de causis ex mea moneta oriri nequaquam spero. Inde enim nemini quicquam decedit, nemo vel unius obuli iacturam facere cogitur, adeo ut quid inde damni sit, ad oculum demonstrari certoque probari (quod quidem cum venia S.R. Maiestatis Vestrae ceterorumque ordinum, mea summa sic necessitate exigente, dictum volo) non possit.

Consideretur praeterea, quod mea haec moneta non solum in his Prussiae terris usitata est, verum etiam in aliis Regnis et ditionibus exteris pro

bonitate grani et ponderis libenter recipitur ac exponitur, ubi nemo se defraudari ac decipi conquestus est unquam. Quapropter nemo aequa opinor ratione ac iure accusare me potest, quod inclytam Poloniae Coronam moneta mea pessumdo ac damnis afficio, multo minus eius insimulabit me quisquam, quod S.R. Maiestatis Vestrae clementi et amicae admonitioni non cesserim locumve dederim, cum ad eiusdem postulationem pro ostendenda amica mea coniunctione et necessitudine debitaque subiectione malleum monetarium (salvo tamen privilegiorum meorum iure) in semestre deposuerim, non vulgare inde damnum [passus], amittendo praesertim negotiatores, qui argentum apportare mihi consueverant, ac eo usque a cudendo abstinui supersedique, donec palam appareret ac re ipsa innotesceret, quod alii meo cum damno rem suam amplificare studerent.

Maxime itaque necessarium fore putavi (quemadmodum subditi mei sum moperie indies a me contendebant) malleum monetarium restaurari. Quod vero S.R. Maiestas Vestra literis suis innuit ex multiplicata moneta grande illud incommodum Regno importari, ideo meam monetam exterminandam, non sunt meo quidem iudicio causae satis evidentes, ob quas mea moneta interdicenda erat, cum ea ipso pondere, grano et valore iusta et probata inveniatur certumque sit, quod in nullo Regno nimia argenti copia esse possit, imo ne aurei quidem montes alibi sufficiant. Memini equidem antea quoque multas rationes longa commemoratione adductas fuisse, quae me ad mallei monetarii administrationem intermittendam commoverent, nempe quod ex monetae multiplicatione et copia auri pretium cresceret et alia multa; quibus omnibus mei nuntii, quos anno superiore 44 ad Comitiam Petricoviensia ablegaram, necessarias, sufficientes et firmas rationes, quae nullis veris argumentis everti possunt, opposuerunt, quod crescens auri pretium non ex monetae copia, verum aliis ex causis tum adductis ortum haberet, ad quae quidem nunc quoque me refero.

Itaque cum praedictae huius interdicti causae non sint evidentes satis, utpote moneta mea secundum pactiones invicem factas (ad quas non sponte mea, sed coactus accessi) proba existente ac bono argento magna ex parte facta, cuius abundantia esse non potest, magna certe cum iniquitate meae libertatis et privilegia mihi infringuntur et imminuuntur, neque aliud agi video, quam quod id datur opera sedulo, quo me sine sufficientibus causis omnibus libertatibus exuant ac defraudant. Quod hercle ingenti me dolore neque immerito excruciat, inprimis autem id mihi a S.R. Maiestate Vestra Regnique Poloniae ordinibus obtingi, non possum non conqueri ac graviter ferre. Quamquam autem levioris quoque monetae, utpote solidorum denariorumque nonnihil percussum signatumque est, tamen eorum tanta non est copia, quanta usui quotidiano sufficiat, id quod re ipsa experior, cum indies adsint, qui denarios vel praecipue a me flagitent. Ceterum licet monetae multiplicatio et copia accusetur, cum additione, quantum inde damni emergat, tamen ex S.R. Maiestatis Vestrae publicato edicto, quod typis excussum est, non obscure apparet S.R. Maiestatem Vestram malleum suum monetarium instauraturam ac pecuniam denuo signaturam esse. Nihilominus alii quoque Regni ordines, qui cudendae monetae ius habent, id moliri dicuntur, ut primo quoque tempore monetam cudant. Quae quidem meo ingenio et capite quasi discrepantia et contraria concordare non valeo, nisi quod inde colligere habeo id unum hisce rationibus agi, ut et negotiatores, qui argentum mihi importarunt, a me alienentur et regalia, quae ego ad S.R. Maiestatem Vestram inclytumque Poloniae Regnum integra sane, illaesa ac nulla ex parte violata mecum inde usque ab initio attuli, nec de novo primum adeptus sum, labefactentur et infirmentur. Quae quomodo cum eo conveniant, quod S.R. Maiestas



Vestra beneficia mea ac iura sarta tecta, ut vocant, conservare, tueri, defendere literis et sigillis suis clementer recepit ac pollicita est, non video.

Quapropter, pro tuendis et conservandis meis, mei feudi consortium subditorumque iuribus et privilegiis, a cudenda moneta nullo modo cessandum supersedendumve putavi. Fateor quidem ingenue ac agnosco lubens me S.R. Maiestati Vestrae in rebus licitis omnibus debita obedientia ac subiectione (quae hactenus, ut spero, fideliter praestiti) devinctum esse. Quod autem mea privilegia et regalia (quae quidem S.R. Maiestas Vestra non minus tueri tenetur, ac ipse meam debitam obedientiam praestare) integra conservare cupio, nequaquam id mihi S.R. Maiestas Vestra, aut quisvis alius honestae mentis, vitio vertet. Quin imo quod iure aequitateque mihi debetur, quodque olim habui usurpavique, porro etiam clementer mihi S. Maiestatem Vestram concessuram spero. Quamobrem S.R. Maiestatem Vestram, pro summa nostra necessitudine et coniunctione proque debita fide et officio meo, subiectissime commonefactam, admonitam, rogatam ac summe obsecratam volo, disegnetur pro sua divinitus concessa prudentia, solertia et ingenio insperatum illud mihi plane gravissimum inceptum de interdicto monetae meae clementer ac diligenter considerare, nihilominus praesentium temporum statum, qui quidem undequaque periculosissimus apparet, et quid exteri ac plane unusquisque de hoc interdicto iudicaturus sit, expendere. Inprimis autem eius damni ac detrimenti, quod utrique parti harum terrarum Prussiae non leve, sed plane gravissimum ac exitiosum inferetur, quodque publicum emolumentum non una parte pervertet, rationem habere velit. Vereor enim (quod quidem arctissimae inter nos necessitudinis ac initorum foederum pactorumque perpetuorum respectu nequaquam spero idque S.R. Maiestati Vestrae, cuius honor et aestimatio agitur, non faveo), ne id interpreterur, quasi S.R. Maiestas Vestra tali interdicto me, tamquam incliti Poloniae Regni membrum institutum <sup>2)</sup> ac eiusdem S.R. Maiestatis Vestrae vasallum Principem, gratia sua regia excludere atque a se alienum esse velit. Quod me non mediocri angore conficit et cruciat, cum sciam me huic rei, qua S.R. Maiestas Vestra erga me immerentem inclementi et alieniore esset animo, non modo nullam necessariam, sed ne iustam quidem causam dedisse. Qua ex re nostris sane adversariis et invidis animus mirum in modum crescet, neque medicrem ipsis spem ac consolationem afferet, quo omni conatu suo ac viribus (quemadmodum hactenus strenue fecerunt) in quamvis occasionem intenti sint, idque aliquando inceptare vel minima bene gerendae rei oportunitate visa audeant, quod alioqui facile, hac ansa non data praebitave, praetermitterent.

Confido itaque, id quod maximopere etiam oro, S.R. Maiestatem Vestram, uti iustum, inclytum et aequitatis amantem decet Regem, curaturam, quo grave illud et onerosum edictum clementer retractetur et, si non longius, saltem usque ad proxime futura Regni Comitia differatur suspendaturve. Quibus ego Comitibus per nuntios meos S.R. Maiestati Vestrae inclitisque Regni ordinibus certis, firmis ac evidentibus argumentis et rationibus, divina favente gratia, id demonstrandum curabo, quo id agi appareat omnibus me, meos subditos harumque terrarum incolas, contra initas pactiones et contra promissiones alias etiam infinitas in nostris diuturnis et hactenus quiete usurpatis iuribus, regaliis, privilegiis ac libertatibus ab iis, a quibus potius et merito haec tutanda ac defendenda erant, perturbari, measque immunitates infringi atque imminui. Sperans inde non modo huius edicti abrogationem sequuturam, verum etiam fore, ut quod semel bona cum voluntate, matura deliberatione praehabita, promissum, pactum conventumque est, porro ratum et gratum habeatur fideliter

que ac constanter servetur, ut hoc modo malevolorum obtrectationibus (quas ego vel inprimis vitare cupio) via praecludatur, neque quibusvis suspicionibus et calumniis locus pateat.

Quod si hisce meis submissis precibus, aequis, honestis ac amicis postulationibus (quod quidem iuxta pollicitationes ac promissiones, saepius mihi a S.R. Maiestate Vestra factas, nihilominus ipsius aequitatis etiam nomine, nequaquam mihi persuadeo) nullum locum dari contingat, cogor equidem, necessitate sic plane exigente, rem ad eos, qui huius feudi mei consortes sunt, quorumque res non secus ac agitur, deferre ab eisque consilium petere et exquirere, ut hoc suscipiatur, quod debitae obedientiae et subiectioni non adversetur, nihilominus autem inevitabilis necessitas tuendi mea privilegia et libertates, quas hae terrae ditionesque sanguine suo usque ad hunc diem conservarunt, exigit ac requirit. Hoc igitur casu tenore praesentium literarum mearum solenniter ac secundum iuris formam coram omnibus et singulis attestatum volo, me in istud onerosum edictum, quod contra mea privilegia, pactiones, beneficiorum et immunitatum collationem regiasque pollicitationes a S.R. Maiestate Vestra aut extortum, aut aliis quibusvis rationibus promulgatum est de moneta mea ex Regno Poloniae exterminanda deque usu eius interdicto, neque verbo neque re ullo pacto consensisse, quodque haec de facto potius quam de iure contingant. Adversum quae mihi mea iura aliaque universa et singula pro tuendis et conservandis meis privilegiis ac regaliis necessaria salva et integra reservata, neque de meo iure quidquam decessum volo, verumtamen omni dubitatione procul amota, etiamdum spero ac confido S.R. Maiestatem Vestram responsum mihi clemens regium et eiusmodi prorsus daturam, ex quo S.R. Maiestas Vestra propensum erga me animum, favorem ac gratiam regiam non modo non mutatum intelligeret <sup>2)</sup>, sed porro etiam me, uti antea, benevolentia sua, amore, gratia amplexuram prosecuturamque, mea privilegia et libertates iuxta promissum suum regium sartas tectas conservaturam sicut omnino curaturam, ut quiete, tranquille et pacifice, salvis meis iuribus et regaliis, quod reliquum est vitae, traducere queam. Hoc erga S.R. Maiestatem Vestram omnibus viribus meis ac facultatibus, non parcens vitae sanguinique proprio, subiectissime promereri conabor. Cui haec responsi loco remittere operae pretium duxi. Datum ex Regio Monte.

C. Sylvius.

a) *sic in ms.*

#### Cedula Regi Seniori

Ceterum S.R. Maiestas Vestra haud dubie meminit me eandem superiori tempore crebrius sollicitasse, ut commissarios ad controversiam finium inter Schadau et Honigkfelt terminandam ordinandamque [constitueret]. Quod quidem a S.R. Maiestate Vestra clementer factum esse, summas illi et submissas habeo gratias. Cum autem hactenus propter Palatini Plocensis <sup>1)</sup> adversam valetudinem et alias quasdam causas in rem praesentem ventum non sit, unus quoque ex numero plenipotentum regiorum, Palatinus utpote Marienburgensis<sup>2)</sup>, interea decesserit, itaque S.R. Maiestatem Vestram vehementer etiam atque etiam subiectissime oro, dignetur alios commissarios, qui non procul dissiti sunt, quibusque commodum et oportunitum est hos fines inspicere, ad terminos praedictorum bonorum Schadau et Honigkfelt constituendos primo quoque tempore ordinare. Quibus meos quoque plenipotentes adiungam, ut hoc tandem negotii, ante-

quam maius aliquod inde existat incommodi, bona cum gratia expediatur conficiaturque. Id erga S.R. Maiestatem Vestram subditis studiis et officiis quovis tempore promerebor. Datum, ut in literis.

Commissio Principis propria  
Constantinus.

- 1) *Felix Srzeński.*
- 2) *Georgius Bażyński.*

N. 2713.

*E Regio Monte, 19.IV.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Thomae Sobocki, R.P. cancellario,  
suspicionem eius de animo suo erga ipsum alienato vanam fuisse ait et benevolentiam suam ei confirmat; de edicto regio monetam cudere vetante queritur et intercessionem eius hac in re exposcit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 931.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 62-65.*

N. 2714.

*E Regio Monte, 19.IV.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
de edicto regio in re monetaria promulgato, privilegiis, iuribus, libertatibus  
suis adversante, queritur et intercessionem expetit, ut eiusmodi interdic-  
tum abrogetur.*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 928, 932, 933, 934.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 71-81 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 265-270).*

Ad Comitem de Tharnaw. XIX Aprilis.

Pro singulari nostra familiaritate, amicitia et coniunctione mutua, qua plurimum certe confidimus, Illustritatem Vestram querebunda voce celare non possumus, quod Sacra Regia Maiestas Poloniae, Dominus noster clementissimus, avunculus charissimus, praeter spem et opinionem nostram per servitorem proprium hisce diebus proximis ad nos literas dedit, ex quibus intelligimus, quod dum contractus prioresque in hoc negotio tractatus et recessus, iura, privilegia atque immunitates consideramus et perpendimus, graviores in nos diu iniuriae maioraque gravamina nobis imponi non possint, quam eisdem Sacrae Regiae Maiestatis literis ac edicto illo, quod de exterminanda moneta nostra publicandum mandavit, nobis illatum est, quemadmodum Illustritas Vestra, ut speramus, ex hoc ipso scripto clarius cognoscet. Principio enim Sacra Regia Maiesta Sua scribit nos proculdubio

memoria tenere, quanta contentione fuerit persaepe a Sacra Regia Maiestate Sua flagitatum, ut efficere conaretur, ne posteaquam ipsa cudere monetam desiit, nos pecuniam signare pergeremus. Adductis rationibus, quibus quantum ex multiplicata moneta ad Regnum ditionesque Sacrae Maiestatis Suae damni incommodique perveniat, indicat, cui illud adiectum est: Senatui Regni universoque populo visum esse, ut Sacra Regia Maiestas Sua edicto publico moneta nostra hominibus in Regno Poloniae interdiceret. Cuius rei certiores nos reddendos suis literis putaverit.

Caeterum in memoriam facile reducimus nos a Sacra Regia Maiestate Sua de malleo monetario intermittendo ponendove admonitos, sed nec illud oblitus sumus (speramusque Illustritati Vestrae, tanquam inclyti Regni Poloniae Principi ac primario, satis constare), quale tum temporis responsum ad regia sua postulata, exigente nostra, nostri feudi consortium ac subditorum inevitabili necessitate, dederimus. Ita sane, ut speremus nulla nobis aequitate nullove nostro merito (quod quidem ex animo nobis dolet) impingi posse, quod Sacrae Regiae Maiestatis Suae Regnum ditionesque nostra moneta damnis afficiamus. Nos ac citra ostentationem et iactantiam illud dicere ac scribere possumus, quod fidem nostram ab eo usque tempore, quo eandem Sacrae Regiae Maiestati inclytoque Poloniae Regno obligavimus, nunquam solvimus aut violavimus. Quinimo, uti ingenuum, illustrem honestisque amantem decet Principem, constanter in fide steti- mus eamque liberavimus. In moneta autem cudenda id curae adhibuimus sicque prorsus perfecimus, ut ea Sacrae Regiae Maiestatis aliorumque ordinum, qui signandae pecuniae ius habent (siquidem bonitate non superaret aut excelleret), ipso valore, grano et aestimatione secundum initas pactiones, quibus fiendis Sacrae Regiae Maiestatis legatus interfuit, facile comparari posset.

Cum igitur nostrae monetae aequalitas, pondus et aestimatio oculis omnium exposita sit, eamque probam et receptam esse constet, nihilominus experientia testetur non probam, sed adulterinam et pravam monetam Reipublicae detrimentosam esse, ad haec palam in conspectu atque oculis omnium sit nos non sponte nostra aut voluntate propria eo deductos, ut nostra moneta aequi valoris esset cum ea, quae in Regno Poloniae cudetur, verum Sacrae Regiae Maiestatis suasu, autoritate ac iussu (nihil obstantibus commemoratis a nobis causis), quantum videlicet damni et incommodi ex alteratione monetae nostrae secuturum esset, ad abrogandam veterem et signandam novam pecuniam, quam in Regno usitatam fore, ob factum nobis saepius promissum editaque regia mandata de recipienda nostra moneta, credidimus, adducti et quodammodo coacti sumus. Quae quidem res nostris terris ac subditis, quibus a singulis grossis omnium suorum proventuum duo atque etiam tres decedebant denarii, non minus damni attulit, quam si bello eos hostis aliquis pressisset. Cuius equidem incommodi praedictis de causis, ut confidimus, moneta nostra occasionem non praebet. Inde enim nemini decedit quicquam, nemo vel unius obuli iacturam volens facere cogitur, ita sane, ut quid inde damni sit, ad oculum demonstrari certoque probari (quod quidem cum venia Sacrae Regiae Maiestatis Suae caeterorumque ordinum, nostra summa exigente necessitate, dictum volumus) non possit. Ut taceamus interim hanc nostram monetam non solum in his Prussiae terris usitatam esse, verum etiam in aliis regnis ac ditionibus exteris non modo non prohibitam, sed et pro grani ac ponderis bonitate libenter recipi et exponi, ubi nemo se defraudari aut decipi conquestus est unquam.

Quapropter nemo nos ullo accusabit iure, quod inclytum Poloniae Regnum nostra moneta damnis afficiamus, multo minus eius insimulabit

nos quisquam, quod Sacrae Regiae Maiestatis clementi et amicae admonitioni locum non dederimus, quandoquidem ad postulationem eiusdem, pro ostendenda amica nostra coniunctione debitaque subiectione, malleum monetarium ad tempus <sup>a)</sup> (salvo tamen privilegiorum nostrorum iure) deposuimus, non exiguum inde damnum amittendo, praesertim negotiatores, qui argentum apportare consueverant, contrahentes, ac eo usque a cudenda moneta supersedimus, donec palam esset alios nostro cum detrimento rei suae augendae amplificandaeve studere, subditis itaque nostris hortantibus ac summe contententibus et, quod maxime necessarium esse videremus, malleum restaurandum curavimus.

Caeterum Sacrae Regiae Maiestatis literae indicant ex multiplicata moneta grande illud incommodum et detrimentum Regno importari, ideoque monetam nostram pro cavendo tanto in posterum damnando exterminandam. Verum non sunt, nostro quidem iudicio, sufficientes causae, ob quas nostra moneta interdicatur, cum ea ipsa pondere, grano et valore iusta ac probata inveniatur, certumque sit in nullo usquam Regno nimiam esse argenti copiam posse. Memoria tenemus antea quoque et non ita pridem causas alias cum longa circumstantiarum enumeratione adductas fuisse, quibus moti a cudenda moneta supersederemus, videlicet quod monetae multiplicatio et copia auri pretium adaugeret etc. Qua de causa nostros nuntios ad Comitata, anno praeterito 1544 Petricoviae celebrata, ablegavimus. Quo pro nostro exiguo captu necessarias, firmas et evidentes satisfactiones, quae nullis certis argumentis controverti possent (id quod Illustratam Vestram recenti memoria tenere non dubitabimus, ac porro etiam nos eo relatos volumus) exposuerunt, quod crescentis auri pretium non ex monetae copia, verum aliis ex causis, tum temporis expositis, oriretur. Igitur cum praedicti huius regii interdicti causae non satis iustae ac sufficientes sint, moneta videlicet nostra secundum initas pactiones, ad quas a Sacra Regia Maiestate modo non adacti sumus, proba existente ac magna ex parte argento puro facta. Cuius, ut supra dictum, nimia copia esse non potest, magna sane cum iniquitate privilegia et libertates nostrae (quod quidem minus verebatur, quam fatalis horae adventum, qui tamen in summi Dei voluntate positus est) imminuuntur ac detrimentum decipiunt, neque aliud omnino agitur, quam quod id datur opera, ut nos omnibus privilegiis ac dignitate, praeter iustas et evidentes causas, spolient. Quod quomodo aliter iudicari possit, quam nostri pertaesum esse et a corpore incliti Regni nos avulsos cupere, non videmus. Quod hercle nobis a Sacra Regia Maiestate Regni ordinibus obtingere, ingenti nos dolore haud immerito excruciat. Caeterum licet monetae multiplicatio et copia accusatur, quantumque inde damni emergat, commemoratur, nihilominus tamen ex publicato regio edicto, quod typis excusum est, non obscure apparet Sacram Regiam Maiestatem Suam pecuniam denuo signaturam. Id quod et alii Regni ordines, qui cudendae monetae ius habent, moliri dicantur. Quod nostro sane ingenio et capite quomodo conveniat, iudicare non valemus. Illustritas autem Vestra, aliique non prorsus hebetes, qui aequo iudicio rem expendere volunt, facile aestimare, videre ac modo non sensu communi iudicium facere possunt, an monetae nostrae prohibitio interdictiove ex multiplicatione eiusdem causam habeat, an vero propter privatum quorundam commodum, qui Sacrae Regiae Maiestati persuadent atque instillant monetam nostram detrimentosam esse, prohibita sit. Ergo id unum inde colligere habemus: hisce mediis et rationibus nihil aliud agi, nisi ut mercatores cum eo argento, quod nobis apportare consueverunt, iniquo modo contra initos contractus a nobis alienentur; ac tandem nostra privilegia, dignitates et regalia, quae nos ad Sacram Regiam Maiestatem incli-

tumque Poloniae Regnum integra sane, illaesa et incorrupta inde usque ab initio nobiscum attulimus, non de novo primum adepti, labefactentur et infirmentur.

Quae quidem iura ac beneficia nostra omnia Sacra Regia Maiestas sarta tecta conservatura defensoraque tabellis suis regis et sigillis clementer pollicita est. Quapropter dictis de causis et pro tuendis nostris, nostri feudi consortium ac subditorum iuribus et privilegiis, a cudenda moneta nullo modo cessandum supersedendumve putavimus. Tametsi enim nos Sacrae Regiae Maiestati in omnibus rebus licitis obedientia et subiectione (quae hactenus, ut speramus, fideliter praestitimus) devinctos esse agnoscimus, tamen quod nostra privilegia, iura et regalia (quae quidem Sacra Regia Maiestas Sua non secus tueri tenetur, ac nos debitam obedientiam praestare) integra conservari cupimus, neque Sacra Regia Maiestas, ut confidimus, neque Illustritas Vestra, aut quivis alius honestae mentis iudicii-que recti, vitio nobis vertet. Quinimo quod iure aequitateque nobis debetur, quodque olim usurpavimus, Sacra Regia Maiestas clementer, alii autem amice et bona cum voluntate nobis, ut spes est, concedent. Quapropter Illustritatem Vestram pro summa nostra coniunctione, amicitia ac spe, quam de ea conceptam habemus, indubia, necessitate inevitabili urgente, amice, fraterne etiam atque etiam admonitam et rogatam volumus, dignetur pro sua divina prudentia, solertia et ingenio insperatum illud nobisque plane gravissimum interdictum de moneta nostra ex Regno Poloniae exterminanda diligenter considerare, nihilominus praesentium temporum statum satis periculosum et turbulentum, tum etiam quid exteri ac plane uniusquisque de hoc interdicto iudicaturus sit, expendere.

Inprimis autem eius damni ac detrimenti, quod utrique parti harum terrarum Prussiae gravissimum et exitiosum inferetur, rationem habere velit ac considerare, quid tandem secuturum, si ei interdicto acquiescere sit statutum. Veremur enim (quod quidem ratione arctissimae necessitudinis ac perpetuorum foederum respectu non speramus, idque Sacrae Regiae Maiestati, cuius honor et existimatio agitur, nequaquam certe favemus), ne eo interpretetur, quasi Sacra Regia Maiestas Sua nos, uti inclyti Poloniae Regni partem, eiusdemque Maiestatis feudatarium Principem, gratia sua regia exclusos atque a se alienos esse velit. Quod non mediocri nos angore conficit et excruciat, cum certum habeamus nos huic rei, qua Sacra Regia Maiestas Sua erga nos inclementi et alieniore esset animo, nullam causam dedisse. Qua ex re nostri adversarii ac invidi non parum spei concipient, sibi hoc palmarium obtigisse gaudebunt, ac porro (quemadmodum hactenus strenue fecerunt) in quamvis occasionem intenti erunt, quo id aliquando vel minima rei bene gerendi oportunitate prehensa inceptent, quod alioqui, non data hac ansa, facile omitterent.

Cum autem Illustritatem Vestram pro debita sua fide, Sacrae Regiae Maiestatis ac inclyti Poloniae Regni honore, dignitatis ac existimationis studiosam esse, eidemque non minus Reipublicae commoda, emolumenta et amplificationem quam suam curae esse credamus, nobis vero singulari necessitudine et fraterna benevolentia Illustritas Vestra devincta sit, itaque magnopere amice ac fraterne petimus, Illustritas Vestra apud Sacram Regiam Maiestatem caeterosque Regni status sua autoritate efficiat studio ac diligentia in id incumbat, negotium nostrum ita promoveat, quo grave illud, iniquum, pactis conventisque repugnans, interdictum retractetur revoceturve, ac siquidem dilatio longior obtineri non potest, saltem usque ad proxima Regni Comitata suspendatur. Quo quidem conventu per legatos nostros, divina annuente gratia, Sacrae Regiae Maiestati inclitisque Regni statibus certis firmis ac evidentibus argumentis id demonstrandum

curabimus, ut omnibus palam fiat nos, nostros subditos harumque terrarum incolae contra initas pactiones, contra datas invicem tabellas, contra alia etiam promissa multiplicia in nostris diuturnis et hactenus quiete usurpatis iuribus, privilegiis ac libertatibus (quae merito defendi tuerique debebant ac nemo praeiudicium sibi fieri aequo animo feret) perturbari, nostrasque immunitates imminui, sperantes nos inde tum huius edicti abrogationem obtenturos, tum illud etiam, quod a Sacra Regia Maiestate, Regnique ordinibus bona cum voluntate semel promissum, pactum, conventum, iuratum literisque confirmatum est, constanter fideliterque servatum iri. Quod si nostras submissas preces, aequas et amicas postulationes apud Sacram Regiam Maiestatem locum nullum habere contingat, cogimur equidem necessitate sic exigente, rem ad eos, qui huius feudi consortes sunt, quorumque res aequae ac nostra agitur, deferre ab eisque consilium, quod inviti certe facimus, expetere, ut et hoc, quod debitae subiectioni non repugnat, suscipiatur, et quod inevitabilis necessitas tuendi nostra privilegia, sanguine subditorum nostrorum usque adhuc conservata, exigit ac requirit. Hac itaque de causa literis nostris ad Sacram Regiam Maiestatem scriptis solemniter protestati sumus, nos in istud onerosum edictum, quod contra privilegia nostra, pactiones, beneficiorum immunitatumque collationem et regia promissa de usu monetae nostrae interdicto aut a Regia Maiestate Sua exportum <sup>2)</sup>, aut aliis quibusvis rationibus promulgatum esset, neque verbo neque re ullo pacto consensisse, quin imo de facto potius, quam de iure, hoc nos onere immerenter deprimi.

Adversum quae nostra nobis iura aliaque omnia, pro tuendis et servandis nostris privilegiis et regaliis necessaria, salva et integra conservata volumus. Id quaesituri, cuius nobis ratio iusta ubi constare possit, praedictis tamen omnibus exclusis, speramus ac confidimus Sacram Regiam Maiestatem submissis, fidelibus ac vehementibus precibus et admonitionibus Illustritatis Vestrae aliorumque nostrorum amicorum intercessionibus, qui Regiae Maiestatis Suae inclitique Regni honorem, dignitatem et emolumenta plus quam nonnullorum privata commoda et alienum a nobis animum spectant ac considerant, cessuram<sup>b)</sup> nobisque clemens ac regium responsum daturam. Ex quo coniecturam faciamus Sacram Regiam Maiestatem propensum suum erga nos animum nondum immutasse, quin imo nos regia gratia ac benevolentia porro complexuram, nostra privilegia, libertates et regalia, pro saepius nobis facto promisso, sarta tecta conservaturam atque hoc ipsum de moneta nostra exterminanda edictum clementer abrogaturam. Id erga Sacram Regiam Maiestatem omnibus facultatibus nostris, non parentes vitae sanguinique proprio, subiectissime promerebimur, Illustritati autem Vestrae, cui haec necessaria scribenda et pro fida inter nos amicitia aperienda duximus, amicis ac fraternis officiis respondere ac satisfacere parati erimus. Quam bene foeliciterque valere percipimus. Datae ex Regiomonte, ut supra.

Mutatis mutandis  
Archiepiscopo <sup>1)</sup>  
Vicecancellario <sup>2)</sup>  
Marschalco Supremo <sup>3)</sup>.

Constantinus.

a) *in textu germanico*: ein halb Jahr  
b) *in ms.* censuram  
z) *sic in ms.*

1) *Nicolaus Dzierzowski.*  
2) *Samuel Maciejowski.*  
3) *Petrus Kmita.*

N. 2715.

E Regio Monte, 20.IV.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
Ioannem Blum, civem Gedanensem, commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA. B. K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 66-68.

N. 2716.

E Regio Monte, 20.IV.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Bonae reginae Poloniae  
rogat, ut auctoritate sua a rege impetrare dignetur, quo edictum regium in re  
monetaria editum, sibi subditisque suis valde onerosum, privilegiis et  
libertatibus suis repugnans, tollatur et abrogetur.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 312.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 68-70 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 259v-260v).

N. 2717.

E Regio Monte, 22.IV.1546.

*Consilarii Alberti in Prussia ducis  
Felici Srzeński, palatino Plocensi,  
duce absente, ad litteras eius, quibus petebat, ut matri suae contra Cherubi-  
num Kosmaczewski iustitia administraretur, respondent se totum hoc  
negotium ad reditum ducis differendum duxisse.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 81-82.

N. 2718.

E Regio Monte, 29.IV.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Iosto Ludovico Decio iuniori et Ioanni Decio  
pro litteris doctori Caspari Hedio transmissis gratias agit.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIX, N. 500.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 259-259v.



Vilnae, 8.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Bielewicz, gubernatori Samogitiae,  
de aliquot doctis et linguae Lithuanicae peritia instructis viris, ad praedicandum  
verbum Dei idoneis, sibi ex Lithuania a filio eius adducendis.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 82-83.*

Ioanni Bielewicz, VIII Maii.

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, singulariter nobis dilecte.

Cum in Ducatu nostro Prussiae propter obitum quorundam praedicatorum et verbi divini ministrorum aliquot parrochiarum officia hoc tempore vacent et pastoribus careant, quod quidem [sine] ostentatione dictum volumus, non minime curae sit, ut subditi nostri notitia Christi Servatoris nostri imbuantur, quapropter Magnificentiae Vestrae filium, praesentium exhibitorem, ut, quantum fieri posset, nobis aliquot doctos, linguae Lithuanicae peritia instructos viros, adduceret, isthuc ablegavimus, clementer etiam atque etiam petentes et postulantes, Magnificentia Vestra filium suum in hoc delegato sibi negotio diligenter iuvare, idque studio, cura et industria sua efficere velit, ut aliquot eruditos, ad praedicandum Dei verbum et reliquum Ecclesiae munus idoneos homines istinc consequamur. Id nos clementer et amice erga Magnificentiam Vestram, quam Optimo Maximo Christo conservandam committimus, promerebimur. Datum Vilnae, ut supra.

Commissio Principis propria  
Constantinus.

Vilnae, 20.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*rogat, ut operam suam interponere velit, quo rex senior in negotio abolendae  
proscriptionis peritum aliquem virum ad Comitata Imperii Ratisbonam  
mittat; intercedit pro nepote suo [Alberto Alcibiade], fratris sui Casimiri  
filio, ab Ordinis Theutonicorum magistro ad iudicium Camerae Imperialis  
accusato.*

*Cfr. El. XXX, N. 313.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 89-91.*

Regi Iuniori. XX Maii.

Serenissime Rex, Potentissime Princeps, Domine et Consobrine colendissime.

Quum Sacram Regiam Maiestatem Vestram non lateat proscriptionis negotium, quo hactenus aggravor quodque ab Ordine Theutonicorum, qui necdum hostilia contra me indies moliri desistit, ortum habet, nondum penitus sublatum esse, iam autem Sacra Caesarea et Catholica Romanorum Maiestas <sup>1)</sup> conventum Ratisponae celebrandum indixerit, ubi propria persona praesens esse certo perhibetur, ut et de causis fidei christianae cognoscat et de aliis rebus in Imperio necessariis statuatur, quibus quidem Comitibus bene ominantur omnes sperantque multas controversias ac negotia (quod Deus Optimus Maximus clementer faxit) terminata iri, itaque necessarium plane existimo apud Sacram Caesaream Maiestatem priora postulata et petita, ut eam tandem proscriptionem aboleat neque in pristinum statum conditionemque restituat, qua fieri potest diligentia et contentione urgere.

Cum autem nuntium meum hac ipsa de causa ad indicta Comitibus ablegare decreverim, intermittere non potui, quin a Sacra Regia Maiestate Vestra submisso et obnixè peterem, ea ad Sacram Maiestatem Seniores, Dominum et parentem suum colendissimum, intercedere clementer dignetur, idque sua autoritate efficere, ut Sacra Regia Maiestas Sua (quoniam ipsius non minus ac mea interest) peritum aliquem et idoneum huic negotio virum, debita et sufficienti cum informatione mandatisque, magnis itineribus eodem ablegat, qui cum meo nuntio una de proscriptione illa plus satis molesta abolenda apud Imperatorem Romanum sollicitet.

Praeterea Illustrissimus Princeps Dominus Albertus Iunior, Marchio Brandenburgensis, fratris Casimiri filius mihi percharus, a Magno Ordinis Theutonicorum Magistro <sup>2)</sup> negotium sibi exhiberi, seque ad iudicium Camerae Imperialis accusari conqueritur, propterea quod Illustrissima Celsitudo Sua successore se terrarum Prussiae proficitur easque iuxta contractum initum defendere ac quovis modo tueri pollicetur. Quae res cum ad Sacram Regiam Maiestatem Seniores in primis spectet, quae defensionem terrarum Prussiae in pactis conventisque perpetui foederis suscepit ac hactenus omnia, quae ad huius provinciae tuitionem necessaria visa sunt, accurate fideliterque curavit, ita sane, ut non dubitem Sacram Regiam Maiestatem Suam, quantum quidem poterit, porro curaturam. Quoniam autem dictus meus patruus inhibitione sive interdicto indiget, quo Illustrissimae Suae Celsitudini a Sacra Regia Maiestate mandetur, ut ne ad citationem Magistri Ordinis alibi compareat, quapropter Sacram Regiam Maiestatem Vestram hoc etiam nomine vehementer ac maiorem in modum oro, ea intercessionem suam ad Serenissimum parentem interponere velit, ut proprio quasi motu, nihilque admonita, hac quodammodo forma Alberto Iuniori Marchioni Brandenburgensi inhibitionem mittendam curet: Quandoquidem ad Sacram Regiam Maiestatem Suam allatum sit Magistrum Magnum Ordinis Theutonicorum Suae Illustritati propter terras Prussiae earumque iura, quae sibi in iis competunt, negotium facessere, cavendumque sit, necubi Illustritas Sua, obstante etiam iureiurando et fide praestita, alium iudicem praeter Maiestatem Suam Regiam (cuius iudicio ea res meritissime defertur) quaerat, itaque mandare Suam Regiam Maiestatem, ne Illustritas Sua eius querelae nomine aliquid cuivis respondeat, aut alibi in ius vocata compareat, nisi coram Sua Maiestate Regia, quae uti terrarum Prussiae haeres feudique eius dominus ac solus iurisdictionem plenam obtinens, cuilibet ius administrare, si debito et competenti modo petatur, sit paratus. Hoc si Illustrissimae Celsitudini Suae scribatur ac interminetur, fore spero, ut eo citius a suo proposito Magni Ordinis Magister abducatur. Dignetur igitur Sacra Regia Maiestas Vestra hac in re clementem se et benevolam mihi exhibere. Id ego perpetua mea observantia,

studiis et officiis promerebor, non dubitans patrualem meum Sacrae Regiae Maiestati Vestrae devinctiorem addictioremque semper fore. Datae Vilnae XXX Maii.

Mutatis mutandis ad Seniozem Regem 22 Maii.  
Commissio Principis propria.

- 1) *Carolus V.*
- 2) *Volfgangus Schutzbar.*

N. 2721.

Vilnae, 20.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*episcopo Plocensi [Samueli Maciejowski]*  
*regem iuniorem invisere coactus rogat, ut apud eundem regem pro se intercedat, quo petitionibus suis locus detur.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 83-84.

N. 2722.

Vilnae, 20.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,*  
*propter interdictum monetae suae in Regno Poloniae promulgatum et propter dissensionem limitum inter M. Ducatum Lithuaniae et Ducatum suum Vilnam ad regem Poloniae iuniorem se advenisse nuntiat et intercessionem eius expetit, ut interdictum in re monetaria latum retractetur; rogat, ut Bernardum Pretwicz pristina gratia porro prosequatur.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, N. 938.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 84-87.

N. 2723.

Vilnae, 20.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Georgio Georgidi Olelkowicz, duci Slucensi,*  
*pro litteris gratias agit; se eum libenter regi commendaturum esse pollicetur.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 87-88.

E Regio Monte (sic), 21.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*Concilio Tridentino, ad causas fidei et religionis discernendas, unius tantum partis praesentia indicto, et propterea factioso et suspecto, causam protestantium Germaniae principum regi commendat.*

*(Schedula: litteras patentes Bernardo Pretwicz concedi petit, ut sine vectigalium solutione boves et alias merces ad usum coquinae suae sibi suppeditare possit; similiter commendat electoris Saxoniae servitorem, ad emendos boves in Podoliam missum).*

*Cfr. El. XXX, N. 313.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 92-98 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 280-282, sine schedula).*

Ad Seniores Regem Poloniae in causa protestantium, XXI Maii.

Serenissime Rex, Potentissime Principes, Domine clementissime.

Non ita pridem est, cum hae literae creditivae, ad Sacram Regiam Maiestatem Vestram ab Electoribus, Principibus, Comitibus, civitatibus aliisque statibus Evangelici foederis, quos protestantes vocant, scriptae, cum aliis nonnullis eorum literis ad me allatae sunt, quibus praedicti status a me postulant, ut pro honore divini nominis ac verbi, pro commodo publico ac communis almae pacis conservatione, nihilominus etiam in gratiam Illustrissimarum Celsitudinum et Dominationum Suarum, negotia haec ipsorum ad Sacram Regiam Maiestatem Vestram haud gravate susciperem expedienda, similiter etiam Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae charrissimum filium, Dominum Sigismundum Augustum Regem Poloniae, Magnum Ducem Lithuaniae etc., praedictorum statuum nomine inviserem, ab eoque opem et auxilium expeterem, non modo ut ad Sacram Regiam Maiestatem Vestram hac ipsa <sup>a)</sup> de causa intercedere dignaretur, verum etiam, ut Regia Sua Maiestas pro se ipsa clementem, benevolum fautorem atque amicum ipsis exhibere se velit, cum autem sciam, id quod nulli quidem hominum obscurum est, Sacram Regiam Maiestatem Vestram iam inde usque ab initio (de quo maxima Deo habenda est gratia) pro pacifico Rege publicis omnium praeconiis celebratam et laudatam esse, quae honorem Dei nullo non tempore promovere et praeterea omnia, quae ad pacem, quietem, amorem bonamque concordiam spectant, summo semper studio provehere solita est, et quae his contraria esse intellexit, omnibus modis de medio tollenda, quod potuit, curavit, quemadmodum hisce nunc extremis nostris et periculosis temporibus pro universa Christianitate nihil melius, conducibilium aut consultius agi tractarique posset, quam si id detur opera, ut quam maxima sit et conservetur animorumque nostrorum inter se concordia, qua existente, postea unanimi consensu, tanto maioribus viribus ac ampliore cum fructu, iuvante divina gratia, capitalis christiani nominis hostis propulsari profligarique bello potest, quapropter hoc mihi oneris eo libentius imponi passus sum, quod videam hic et de honore Dei Optimi Maximi agi et quae de pace constituenda superius dicta sunt, sollicitate quaeri, officiose etiam atque etiam amice petens, Sacra Regia Maiestas Vestra ea petita et postulata clementer ac benigne audire seque, quod chri-

stianum, pacis ac concordiae amantem decet Regem, exhibere dignetur.

Haec autem legationis eius summa est: posteaquam nuper Concilium Tridenti ad causas fidei religionisque christianae cognoscendas et terminandas indictum fuit, idque unius tantum partis praesentia, quae res merito omnibus suspecta esse debet, celebratum sit, cum tamen necessario non modo utriusque partis praesentia requiratur, verum etiam consilia, cogitata, opiniones conferendae sint, et utra pars firmiori nitatur fundamento, cognoscendum, quemadmodum veteres sinodi hanc consuetudinem conferendi dogmata inter se magna cum laude usque ad haec tempora retinuerunt; quae quidem doctrinarum collatio cum in Sinodo Tridentina usurpata non sit, verendum sane est, ne forte tale factiosum et suspectum Concilium (absente praesertim altera parte, quae necessario adesse debebat, cuius etiam responsum de iure audiendum erat) aliquid constituerit conclusivae, quod progressu temporis executioni mandare conetur ac fortasse illud moliatur, quod praesentibus iis, qui christianam fidem profitentur, praetermissum facile, imo ne tentatum quidem foret unquam. Si igitur finito isto suspecto Concilio (quod quia promptum et facile est, haud dubie accidet), tam a Sacra Regia Maiestate Vestra quam ab aliis etiam potentatibus sub quodam praetextu defendendae verae christianae fidei auxilium petatur, hoc casu incidente, Sacram Regiam Maiestatem Vestram Electorum, Principum, Comitum, civitatum aliorumque ordinum nomine, qui evangelicam religionem professi, officiose et amice peto, Sacra Regia Maiestas Vestra horum negotiorum prius circumstantias, in primis vero cuius haec res sit et cuius honor, videlicet summi Dei agatur, diligentius considerare velit simulque expendere, quod evangelici sive, ut vocantur, protestantes illud petunt ac postulant, quod aequissimum est, videlicet ut divinis scriptis et testimoniis ipsorum sua sententia evertatur et convellatur. Quod si fiat ac quorumcumque tandem errorum et quibuscumque articulis convincantur, libenter <sup>d)</sup> parati sunt cedere suamque sententiam, utpote Scripturae non conformem, relinquere.

Quapropter Sacra Regia Maiestas Vestra det operam atque in hoc incumbat praecipue, ne religiosorum aut aliorum quorumvis postulationibus aut instigationibus moveatur, etiamsi suspecta Tridentini Concilii statuta praetexantur, ne se concitari adversus evangelicos ulla ratione permittat. Quin etiam illud nequaquam concedat, ut Sacrae Regiae Vestrae Maiestatis subditis contra evangelicos merere stipendiaque facere liberum sit. Verum potius uti pacis amator, quo nomine Sacra Regia Maiestas Vestra iam olim depredicata fuit, ea media, eas vias et rationes quaerere conetur<sup>e)</sup>, quae ad honorem Dei, ad pacem, quietem, tranquillitatem et concordiam publicam spectant. Quo alma tandem pax inter christianos conserveatur et unanimi ac concordii auxilio et subsidio Principum christianorum hereditarius nostrae fidei Crucisque Christi hostis opprimatur aut saltem reprimatur. Hoc Deus omnipotens haud dubie, ut est in remunerando hominum bene facta largus, opulenter compensabit. Tum ipsi Electores, Principes, Comites et alii <sup>f)</sup> protestantium status erga Sacram Regiam Maiestatem Vestram, inclytum Poloniae Regnum, eidemque adiunctas terras promerebuntur ac similibus casibus et maioribus etiam sese, uti christiani nominis professores decet, exhibebunt. Quicquid ipse quoque Sacrae Regiae Maiestati Vestrae servire possum, offero in eo <sup>g)</sup>, ut in reliquis omnibus officia mea, quod feudatario Principi convenit, parata et prompta omni tempore, vehementer ac submisso petens, Sacra Regia Maiestas Vestra responsum mihi isthoc cum nuntio remittere, ex quo eiusdem animi sententiam cognoscere, meisque delegatoribus significare queam, dignetur. Porro Sacram Regiam Maiestatem Vestram Christo Servatori nostro perpe-

tuis temporibus salvam et incolumem conservandam committo. Datae ex Regiomonte.

a) *supra lineam.*

b) *in concepto: plane*

c) *sequuntur verba expuncta: et facile tum a Sacra Regia Maiestate Vestra*

d) *in margine.*

e) *in margine.*

f) *in ms. aliis*

g) *pro: hoc expuncto.*

N. 2725.

[Vilnae], 21.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*negotium mercatorium Petri Schmitner, civis Regiomontani, commendat.*

(Lat.)

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 120-121.*

N. 2726.

Vilnae, 21.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Andreae a Gôrka, castellano Posnaniensi,*

*nuntiat de suo Vilnam adventu et regis iunioris bona valetudine; de recuperata eius sanitate gratulatur etc.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 98-99.*

N. 2727.

Funfkrugen, 21.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,*

*de bobus sibi et electori Saxoniae mittendis.*

(Germanice)

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 272-272v.*

N. 2728.

Caunae, 23.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*pro Margarita, Iacobi Sculteti relicta vidua, intercedit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 101.*

N. 2729.

[Caunae], 23.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*pro Gregorii Wollowicz, servitoris regii, patruete, Vilnae "in vinculis civilibus"*  
*detento.*

(Latine)

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 119-120.*

N. 2730.

Caunae, 23.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Ioanni Radziwiłł, M.D.L. incisori,*  
*pro cervorum cornubus et urorum tubis sibi missis gratias agit.*

(Latine)

(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168*).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 99-100.*

N. 2731.

Tilsae, 31.V.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,*  
*de praefecti Jurborgensis servitoribus, subditos suos in districtu Tilsensi variis*  
*modis molestantibus, queritur.*

(Germanice)

*Cfr. El. XLIII, N. 32.*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 273-274v.*

N. 2732.

E Regio Monte, 8.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Nicolao Russocki, castellano Biechoviensi,*  
*solutione debiti, a defuncto eius filio contracti, in cassum sollicitata,*  
*se huius "tantulae nummorum summae" renunciare et equum sibi mis-*  
*sum ei remittere significat; litteras pro eo intercessorias ad Mauritium*  
*Saxoniae electorem se scribendas curasse nuntiat.*

(Latine)

(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168*).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 116-118.*

N. 2733.

E Regio Monte, 8.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Martino Mażwid (Mažvydas Vaitkunas), Lithuano,*

*Regium Montem eum venire iubet et Ioannem Bretschneider, suum medicinae doctorem, adire, ut ab eo audiat, quae sit animi sui ducalis sententia et voluntas.*

*(Latine)*

*Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XXVI.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 118-119.*

N. 2734.

S.l., 16.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,*

*de duobus bassis a Turcarum imperatore in Hungariam missis et de Hungaris regi Ferdinando oboedientiam denegare aliumque dominum sibi quaerere cogitantibus, nisi eos contra Turcas protegere voluerit.*

*Ostpr. Fol., vol. 44, 272v-273.*

An Bernharden Pretwitz, den XVI Juny anno etc. 46 ten.

Unsern grus zuvor.

Ersamer, lieber, besonder.

Nachdem unser eigen handschreiben an euch ausgangen am datum ald, so wollet dach auch darin nichts irren lassen, dann der verzugk uber verhoffen geschehen.

Hieneben wollen wir euch gnediglichen nicht vorhalden, das dieser tag an uns gelangt, als solle dem romischen konig Ferdinando gegen Breslau eilende post, die seine ko.mt. etwas bekohmert haben solle, zukohmen sein, und ist die sage, das der Turk <sup>1)</sup> II basha in Hungern geschickt, und das die Hungern dem Ferdinando ire pflicht uffgeschrieben, vormeldende, weil er sie nicht schutzen thet, wurden sie geursacht einen herren zu suchen, davon sie geburenden schutz zu gewarthen. Dieweil ir aber hierumb ahne zweifel gutte wissenschaft habt, so wollet uns desselben, soviel thunlich, teilhaft machen.

Hierneben gelangt an uns, als solle eur sachen noch nicht auf ein orth kommen, besonder kegen Crakau verreysen, des uns verwundert. Desselben wollet uns auch und wes doneben neues vorfelt, <sup>a)</sup> sovil thunlich, wisshaft machen. Das seint wir gnediglichen abzunehmen gewogen. Datum in eyl, ut supra.

Balthazar Ganss.

a) *sequitur expunctum*: z.

1) *Solimanus II.*



N. 2735.

E Regio Monte, 18.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Andrae Volprecht (Polprecht)  
de argento ei Cracoviae ab officialibus regiis intercepto accuratius edoceri  
cupit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 274v-275v.*

N. 2736.

E Regio Monte, 19.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de argento a Georgio Ribe, servitore suo, in Scepusio empto, alii servitori suo,  
Andrae Volprecht (vel Vellgerecht), Cracoviae ablato, queritur et iustitiam  
postulat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 314 et El. XLV, N. 53.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 121-122 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 277-278).*

N. 2737.

E Regio Monte, 19.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario,  
de argento servitori suo, Andrae Volprecht, Cracoviae ablato.  
(Schedula: enumerat nomina commissariorum, qui sibi ad negotium limi-  
tum terminandorum maxime idonei videntur).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 930.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 123-124 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, f. 278v-  
279v).*

N. 2738.

E Regio Monte, 19.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
se etiam facile suspicari posse nuntiat, cuius consilio edictum regium de  
moneta sua in Regno interdicenda promulgatum sit; rogat, ut nuntiis suis  
ad Comitata Regni missis consilio adsit; de argento suo in Scepusio empto*

*servitori suo Cracoviae adempto queritur et intercessionem eius hac in re exposcit; oratoris Turcarum minis se valde turbatum esse nuntiat.*

*Cfr. El. XXVII, NN. 932, 937.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 125-126.*

Comiti a Tharnow, XIX Iunii anno 1546.

Officia nostra amica etc.

Accepimus Illustritatis Vestrae literas, Sandomiriae 17 Maii datas, in quibus eadem ad querelam nostram in causa promulgati edicti de moneta nostra ex Regno Poloniae exterminanda respondet, accusans inprimis horum temporum iniquitatem et meliora nos sperare iubens, quod in toto Regno Poloniae omnia pro unius libidine hominis nunc agantur Reique Publicae rationes ad summum interitum spectare videantur. Quibus quidem nos magnopere percussi sumus. Non possumus enim non eius vicem Regni, cuius corpori coniuncti sumus, vehementer dolere. Utinam in nostra situm esset potestate et facultate eidem auxiliari <sup>a)</sup>, certe quo animo praediti simus erga inclitum hoc Regnum, facile appariturum esset. Tametsi autem suspicari facile possumus, cuius consilio hominis agantur misceanturve omnia, tamen dictu mirum est, quantopere se ad nos excusarit, quod de monetae interdicto non modo nihil sciat, verum etiam quod illi id prorsus displiceat. Nos igitur causam nostram Deo committere necessum habemus, quem precamur suppliciter, Is pro sua divina gratia et immensa in genus humanum misericordia omnia in statum meliorem olim convertere dignetur. Inprimis autem mentem illius, cuius nunc nutu geruntur omnia, sic flectere velit, ut salutaria magis Reipublicae consilia amplectatur et sequatur quam ea, quae ad Regni interitum spectant. Interim tamen intermissuri non sumus ea, quae nos facere convenit, quin imo ad eum, qui Comitibus dictus erit, diem nuntios pro Illustritatis Vestrae consilio et suasu ablegabimus, fraterne etiam atque etiam petentes, Illustritas Vestra, uti antea consuevit, ita adhuc suo illis consilio et autoritate adesse velit sicque iuvare, quod potest, ne perpetuo nos conqueri oporteat. Etsi autem non obscure cernimus Sacram Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum clementissimum et avunculum charissimum, istud de moneta nostra exterminanda edictum haud facile mutaturum, utpote quae etiamdum cumulare nos iniuriis, molestiis et incommodis non desistit. Nam nuper admodum paucos ante dies servitori cuidam nostro non exigua argenti infecti portio, quam nostro usui ex Cepusio comparaverat, Cracoviae ablata et detenta est. Quanto nostro cum gravamine et qua iniuria factum sit, Illustritas Vestra facile perpendet. Qua de re ad Sacram Regiam Maiestatem scribimus, cuius scripti exemplum Illustritas Vestra cum his literis habet, petentes, ut quicquid id est argenti nostri, quod servitor noster nostra coemerat pecunia, reddatur nobis. Quod si fit, est ut agamus gratias, sin minus, iusta nobis erga omnes, praesertim eos, quos praeterire malleamus, querendi causa est.

Itaque Illustritatem Vestram, ut ea in re nos adiuvet, amice ac fraterne petimus. Non enim diffidimus, quin Illustritas Vestra cum aliis Regni consiliariis, ubi velit, hoc conficere atque id edicti etiam, quod non frequenti Senatu promulgatum est, non abrogare, saltem mitigare atque suspendere possit.

Quod Imperatoris Turcarum <sup>1)</sup> orator adeo superba et minarum plena

oratione usus est, illud certe cum magno animi dolore intelleximus. Facile enim suspicari licet, quid inde nobis polliceri debeamus. Inprimis autem quod eos, quorum interest servare Rempublicam et penes quos summa rerum est, parum ea movit oratio, id nobis gratissimum accidit. Nequaquam enim ludus et iocus nobis videtur, quin ita potius apparet, ut omnes huc, quasi communi incendio restinguendo, suas operas conferre merito debeant. Faxit Christus Optimus Maximus, ut superbissimus iste hostis meritas suae tyrannidis aliquando poenas luat, nobisque pacem, quietem et optatam tranquillitatem Is, qui solus harum rerum est largitor, clementer benigneque concedat. Haec Illustritati Vestrae, quam diutissime felicem et incolumem esse cupimus, rescribenda duximus.

Ex relatione Cancellarii.  
Princeps audivit et Comiti a Tarnow annuit.  
C.S.

a) in ms. auxiliarier  
1) *Solimanus II.*

N. 2739.

*E Regio Monte, 19.VI.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,  
gratias agit, quod regem de praedatoribus et publicarum viarum turbatoribus,  
in districtu Tilsensi grassantibus, certiozem reddidit; nomine coniugis  
suae dolium butyri regi mittit; significat allatum sibi rumorem de regis  
Romanorum repentina ad imperatorem graviter aegrotantem profectio  
et de duobus bassis a Turcarum imperatore in Hungariam missis.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLIII, N. 32.*

*Ostpr. Fol., vol. 44, 282v-283v.*

N. 2740.

*E Regio Monte, 20.VI.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de argento servitori suo, Andreae Volprecht, violenter iussu regis ("ut scribitur")  
Cracoviae ablato queritur.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 314.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 127-128 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 275v-277,  
cum dato: 19.VI.1546).*

N. 2741.

E Regio Monte, 26.VI.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni IV Basilidi, magno duci Moscoviae,*

*Ioannem Schlitte, negotiatorem, negotiorum et mercimoniorum suorum causa  
in Moscoviam proficiscentem, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 128-129 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 284-284v,  
cum dato: 21.VI.1546).*

N. 2742.

E Regio Monte, 2.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*negotium mercatorum Petri Schmitner, municipis Regiomontani, iterum  
commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 129-130.*

N. 2743.

E Regio Monte, 2.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,*

*de litteris in negotio Petri Schmitner ad regem iuniorem datis (ut ei frumentum  
in Samogitia et Lithuania emptum in Prussiam transvehere liceat, cfr. N.  
2725) et nullo hactenus responso ad eas habito nuntiat; salvum conduc-  
tum ad transvehendum frumentum a rege sibi impetrari petit.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLIII, N. 37.*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 284v-285v.*

N. 2744.

E Regio Monte, 9.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Gregorio Chodkiewicz, succamerario Lithuaniae,*

*petitam ab eo pecuniae summam hoc tempore se ei mutuo dare non posse  
significat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 130.*

N. 2745.

E Regio Monte, 19.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
a senatu Gedanensi id rogatus, causam Gedanensium commendat.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 321.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, f. 131.

N. 2746.

E Regio Monte, 19.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Ioannem a Werden, burggravium Gedanensem, ad regem se conferentem, com-  
mendat.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 320.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 132-133.

N. 2747.

E Regio Monte, 19.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,  
libros aliquot mittit et rogat, ut eos regi iuniori tradat.*

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 286-287.

An Gabrielen Therlaw, den 19<sup>ten</sup> July.  
Unsern grus und gnedigen willen zuvorn.  
Edler und ernvester, besonder lieber.

Nachdem wir mit euch verlassen, das wyr der jungen ko.mt. zu Polan etc., unsern gnedigen herren und freuntlichen, lieben oheimen, ezliche bucher zusenden wöllen, demnach haben wir vir kleine buchlein zurichten lassen, nemlich Confessiones fidei und Loci communes lateynisch und deutzsch, daneben auch ein bethbuchlein, in gnaden sinnend und begerend, ir wollet nach euer bescheidenheit die buchlen irer ko.mt. vleissiglichen uberanthwurten und iren ko.mten den bericht thun, das dye Loci communes im lateinischen weither weder im teutschen, anmerkende, das solche unlangst im latein corrigiret, aber ins deutsche nach zur zeit nicht sertiret. Sobald es aber, wie vorhoflich, ausgehen wirt, sol ko.mt. solchs ubersandt und zugefertigt werden. In dem bethbuchlein hoffen wir, werde ire ko.mt. vil gutter nutzer gebeth finden. Weil dan der Allerhochst umb erkenntnus durchs gebeth gebethen sein will, so wollet zum a) anfahren, nach

euer bescheidenheit, s.ko.mt. solchs erstlichen uberantworten, damit es s.ko.mt. mit lust lesen möge, den lieben, barmherzigen Goth bittend, er wolle seiner ko.mt. seinen Heiligen Geist und erkenntnus seiner warheit gnediglichen verleyhen, abermals gnediglich sinnend, ir wollet in allewege unser und der unserigen bey ko.mt. hochgemelt im besten ingedenk sein, nichts weniger, wie wir ohne das nicht zweifeln, hern Hansen von Werden der orth mit treulicher forderung euch erzeigen. Das seint wir gnediglichen abzunehmen und zu erkennen gewogen.

Datum Konigspergk, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.  
Baltazar Gans.

a) sic in ms. in margine pro expuncto: ir

N. 2748.

E Regio Monte, 21.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Andrae a Gôrka, castellano Posnaniensi,  
pro Ioanne Friderico electore Saxoniae, ut servitor eius boves, in Regno Poloniae  
coemptos, hoc tempore, quo imperator adversus eundem electorem "reliquo-  
sque Principes, qui protestantes vocantur et evangelicae doctrinae  
adhaerent", bellum molitur, tuto exportare queat.*

*(Schedula de eadem re).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 133-134.*

N. 2749.

E Regio Monte, 25.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
pro Catharina Maraunia eiusque filiis, civibus Gedanensibus, contra Lucae Ket-  
ting heredes, concives Gedanenses.*

*(Annexum: Supplicatio Catharinae Marauniae).*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 134-138 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 287-288v).*

N. 2750.

E Regio Monte, 25.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de causa heredum Lucae Ketting ex una et Marauniensium, Buthneri et Cromeri  
ex altera partibus.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 138-139 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 290-291v).

N. 2751.

E Regio Monte, 25.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*pro Achatii Czema in legatum ad Comitiam Imperii designatione (ut pro abroganda proscriptione sua instet) gratias agit, addit tamen dicta Comitiam iam conclusa esse et imperatorem contra principes protestantes arma parare; suadet, ut rex legato suo iniungat, ut de pace potius inter imperatorem et status evangelicos agat.*

*(Schedula: de argento servitori suo restituendo).*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 143-145.*

Regi Poloniae Seniori, 25 Iulii.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Sacram Regiam Maiestatem Vestram certiolem facio, quod Nobilis ac Generosus, sincere mihi dilectus Dominus Achatius a Chema, Palatinus Marienburgensis, pridie ad me literas dedit, quibus scribit se a Sacra Regia Maiestate Vestra designatum ordinatumque esse, qui ad Comitiam Imperialia<sup>a)</sup>, quae a Sacra Chatolica Romanorum Maiestate<sup>1)</sup> celebrantur, profectio- nem suscipiat, ibique pro abroganda tollendave molesta ista proscriptione instet laboretque. De qua quidem regia clementia et gratia, quod Sacra Regia Maiestas Vestra tantum subire laboris ac molestiae sumptusque meo nomine facere non dubitat, maximas merito ago gratias agamque, dum vivam, immortales. Inprimis vero magnopere mihi gaudeo, quod Sacra Regia Maiestas Vestra eum virum, qui prae caeteris mihi huic negotio gerendo idoneus videtur, delegerit, cuius prudentiam, fidem et in rebus gerendis dexteritatem iam pridem multis et arduis in negotiis perspexi.

Caeterum Sacram Regiam Maiestatem Vestram amice ac subdite caelare non possum me certis literis ac fide dignis rumoribus comperisse, Comitiam Imperialia finem suum habere, Electores ac Principes omnes Ratisbona iam dudum discessisse, Sacramque Caesaream Romanorum Maiestatem in armis esse, ut Electores et Principes evangelicos sive protestantes, ut vocant, bello infestet ac opprimat. Quod quidem bellum, nisi Deus Optimus Maximus clementissime averterit divinitus, in universam Germaniam facile redundabit eritque exitio toti Christianitati. Quod, proh Deum immortalem, dolendum est maxime. Cum itaque hoc modo se res habeant, non arbitror in causa proscriptionis hoc tempore aliquid confici posse. Quin imo et oleum et operam perditam iri credo, nisi illud forte Sacra Regia Maiestas Vestra ei legato iniungere velit, ut de pace inter Caesaream Romanorum Maiestatem et status evangelicos constituenda agat. Ad quod quidem pium et salutare opus (quo inclutam Germaniam servatam iri confido <sup>b)</sup>) Sacram Regiam Maiestatem

Vestram etiam atque etiam fideliter hortor et moneo. Hoc enim Sacrae Regiae Maiestati Vestrae maxime convenit.

Ad hanc ipsam rem commodius perficiendam Sacra Regia Maiestas Vestra Illustrissimum Principem et Dominum, Dominum Ioachimum Marchionem Brandenburgensem, Sacri Romani Imperii Electorem, Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae generum, haud inutiliter meo quidem iudicio asciverit, cuius Illustrissima Celsitudo non modo apud Electores et Principes Imperii universos, verum etiam apud ipsam Sacram Caesaream Maiestatem in magna autoritate et existimatione habetur et in hac causa magno usui esse potest. Quare Sacram Regiam Maiestatem Vestram vehementer ac subdite oro, ea haec belli initia, ex quibus maximi motus existere possunt et, proh dolor, ni Deus benigne averterit, existent, contemnere ac parvifacere non velit, verum una cum genero suo apud Caesaream Romanorum Maiestatem ac Imperii Electores, quorum res agitur, amice instare seque hisce discordiis interponere ac mediatorem agere non gravetur. Si Christus Optimus Maximus his forte coeptis aspiret, ut non modo tanta christiani sanguinis profusio vitetur, sed etiam universae istae vires totaque belli moles adversus capitalem nominis Christi hostem <sup>c)</sup> transferatur, quemadmodum Sacra Regia Maiestas Vestra pro singulari sua et mirifica prudentia has ipsas res facile considerabit penitus, nequaquam dubito, quin hoc, ut quemadmodum et aetate caeteros huius saeculi Reges et Principes omnes superat et prudentia longe excellit, ita maxime pacis artibus studeat et concordiam inter primores orbis terrarum constituere nitatur, hoc <sup>d)</sup> modo Sacra Regia Maiestas Vestra, quae prius quidem Imperii Romani Principibus necessitudine et affinitate iuncta est, arctius sibi eorum animos devinctura sit et Deo haud dubio gratissimum officium praestitura.

Quod si autem hoc ipso nomine Sacra Regia Maiestas Vestra legatum suum mittere dubitat, quid in causa proscriptionis his tempestatibus efficere possit, non sane video, quin potius ad eius belli exitum et finem id legationis differendum censeo. Interea tamen, pro meo quidem exiguo capto, haud infrugiferum foret, si Palatino Marieburgensi iniungatur, ut ad quemcumque casum promptus sit ac paratus sic, ut primo quoque tempore hisce cum mandatis, ubi commodum fuerit, proficiscatur. Ego tamen Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae arbitratus haec omnia relinquo. Quicquid ipsa statuerit, hoc ratum gratumque mihi futurum est. Quod Sacram Regiam Maiestatem Vestram amico et subdito studio caelare non potui, quam Christo omnipotenti diu salvam, foelicem, incolumem et florentem conservandam committo. Datae ex Regio Monte, anno 1546.

Cedula

Intellexi porro ex literis Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae, quod argentum, ubi eadem citra dubitationem cognovisset meum esse, e vestigio servitori meo restituendum mandarit. De eo maximas illi habeo gratias daboque operam, ut id clementiae mea subiectione promereri queam. Datum ut in literis.

Relatio Cancellarii.  
Princeps et Cancellarius audiverunt.  
C. Syl.

a) *in ms.* Imperialia

b) *in ms. sequitur:* fideliter (*in conc. deest*).

c) *in ms.* honestem

d) *in ms. M (in conc. Hoc expunctum).*

1) Carolus V.



N. 2752.

[E Regio Monte, 25.VII.1546].

*Albertus dux in Prussia*  
*Stanislaos Hosio*  
*de negotiis Marauniae et viduae Martini Hermensdorff.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 143 (et Germ., Ostpr.Fol., vol. 44, ff. 289-290).

N. 2753.

E Regio Monte, 27.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Spytconi Tarnowski, R.P. thesaurario,*  
*de annuo stipendio suo servitori suo, Andreae Volprecht, Cracoviae numerando.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, f. 146.

N. 2754.

E Regio Monte, 27.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Iacobo Narzymiski*  
*consiliarium suum, Ioannem Rauther (vel Reuter), ad eum mittit et commendat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 293v-294.

N. 2755.

E Regio Monte, 27.VII.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Andreae Volprecht (Wolprecht)*  
*per Martinum Schuffner, scribam suum, mittit ei litteras ad Regni Poloniae thesaurarium [Spytconem Tarnowski] et mandat, ut summam 4000 aureorum secreto sibi numerari faciat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 294-294v.

*Albertus dux in Prussia*

*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo, de equitibus ad «christianam et necessariam defensionem contra iniustam vim» conscribendis; de auxilio ea in re ab electore Saxoniae et reliquis statibus Germaniae protestantibus sperato; de Bernardo Pretwicz eiusmodi expeditionis ductore a se proposito.*

*(Schedula: mittit «narrationem» de Henrici ducis Brunsvicensis deditio-  
ne).*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 945, 946.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 146-149.*

Domino Ioanni Comiti a Tharnov, XXVIII Iulii.

Quae nobis de Illustritatis Vestrae studio<sup>a</sup>), amica et officii plena voluntate, prompto et gratificandi animo fraterno, tum in comparandis equitibus, tum in aliis negotiis omnibus, Nobilis ac Generosus, fidelis nobis dilectus Ioannes Rauterus retulit, ea satis superque intelleximus. Ex quibus facile colligimus Illustritatem Vestram sese uti fratrem coniunctissimum et amicum fidelissimum exhibuisse. Qua de re maximas illi merito habemus gratias, daturi operam, ut fraterna benevolentia, amore, officisque erga Illustritatem Vestram promereri possimus. Cum autem negotium equitum comparandorum ac conscribendorum ita se habeat, quemadmodum Illustritas Vestra referri nobis fecit, nos hercle (quoad rationes nostrae patientur) morem illi gerere in his omnibus parati sumus, sperantes ac confidentes posse ad hanc christianam et necessariam defensionem contra iniustam vim equites comparari, sin minus, ut nos temporari accomodemus<sup>b</sup>) necesse est. Quod si vero hac via et ratione, ab Illustritate Vestra proposita, nihil expediri potest, eaque alia insuper indiget promotione, nos nihilominus fraterne speramus Illustritatem Vestram alias rationes quaesituras, quibus hoc necessitatis tempore amicis nostris inservire queamus. Quod si fit, plane certi sumus Illustrissimum Ducem Saxoniae Electorem<sup>1</sup>), reliquosque ei religioni adhaerentes status, nos vicissim, si quis casus urgeat (quod Deus clementissime avertere dignetur), tum consilio, tum ope et opera haudquaquam deserturos, quin imo auxilium nobis fideliter laturos. Quorum adiuti auxiliis, Sacrae Regiae Maiestati inclytoque Poloniae Regno pro debita nostra fide tanto melius maioreque cum dignitate servitia nostra, incidentibus quibusvis casibus (quos Deus tamen propitius diutissime avertat), praestare possumus.

Quoniam autem Illustritas Vestra porro refferre dignata est se nonnihil dubitare, quosnam viros pro ductoribus cohortium electuri simus, vereri enim Illustritatem Vestram, ne facile idonei ducendis equitibus inveniantur, nos quidem una cum Illustritate Vestra sentientes, Nobilem ac Generosum, sincere nobis dilectum Bernhardum Bretwicium, Capitaneum Barensensem etc., qui suam nobis in hac re operam ultro et saepius quidem obtulit, huic rei maxime idoneum iudicavimus. Verum illud e diverso consideramus: Cum is vir siet, qui inclyto Poloniae Regno, multos iam annos excubando ad fines, contra crebras et perpetuas quodammodo hostium incursiones non mediocriter profuit, quique mores et consuetudines eorum

hostium novit, quod hercle plurimum referre putamus, atque nos huius Regni commoda et incrementa vehementer promotam cupiamus, damnisque et periculis quovis modo avertendis pro fide offitioque nostro diligenter studeamus, iam autem tum a Scythis et a Tartaris, tum ab aliis infidelibus hostibus incursiones quotidie metuendae ac operiendae sint, ita sane ut, si hoc tempore inde discedat stationemque deserat, metuendumque forte sit, ne quid ei de fama et bona existimatione decedat, neve bona facultatesque suae in periculum adducantur, quod quidem huic optimo viro nequaquam faveremus, multo minus ipsi hoc persuadere aut damni occasionem praebere vellemus, quapropter in dubio sumus, quidnam spei de ipsius persona concipiamus. Quandoquidem autem, si his viis non succedat, aliae tandem excogitandae sunt, nos Illustritati Vestrae considerandum relinquimus, an praeter haec omnia, mediante Illustritatis Vestrae secretiori tractatione, dictus Bretwicius persuaderi possit, ut ad hanc expeditionem ductoris turmarum loco proficiscatur<sup>c)</sup>. Nam si citra existimationis suae laesionem et sine incommodo bonorum suorum fieri posset (cum is nobis prae caeteris non sane displiceat), profecto factura nobis esset Illustritas Vestra rem maxime gratam et fraterna benevolentia compensandam. Quod si obtineri non potest nostraeque rationes supra expositae aliquid impediunt, vehementer etiam atque etiam fraterne petimus, Illustritas Vestra det operam, ut aliqui honestum rei militaris peritum, qui et ipse in conflictu aliquando fuerit et res non<sup>d)</sup> infoeliciter gesserit ac ducendis equitum turmis idoneus sit, qualem esse oportere Illustritas Vestra nostro cum servitore Rauero pluribus contulit, nanciscamur cum eo de stipendio digno et convenienti, uti decet et par est, agendum curabimus, plane confidentes ipsum sic, ut fortem et strenuum decet virum, sese exhibiturum, neque aut labores aut pericula subterfugiturum, quo de bellica laude et gloria, quibus prae caeteris haec natio ornata est, non modo nihil decedat, imo potius augeatur amplificeturque. Omnino persuasum nobis habemus Illustritatem Vestram sese, uti fratrem et amicum nobis coniunctissimum, offitiosam hoc casu praebituram, nostrique in hac re commodi et emolumenti, denique necessitatis etiam habituram rationem. Id nos amicis ac fraternis studiis erga Illustritatem Vestram (quam Christus Optimus Maximus diu salvam et incolumem conservet) quovis tempore promerebimur. Datae ex Regio Monte, anno 1546.

Translatum e Germanico.  
C. Sil.

#### Cedula Comiti a Tarnow

Mittimus quoque Illustritati Vestrae narrationem, ab Illustrissimo Duce Saxoniae, Domino Mauritio, editam, qua exponit deditioem Henrici Ducis Brunswicensis contra quorundam conficta mendacia, quam ut Illustritas Vestra succisivo<sup>e)</sup> tempore legat, etiam atque etiam fraterne petimus. Datum ut in literis.

- a) *supra lineam pro expuncto*: iuditio
- b) *in margine pro expuncto*: inseruiemus
- c) *in ms. profiscatur (in conc. proficiscatur)*.

d) *sequitur expunctum*: Illustritate Vestra sentientes, Nobilem ac Generosum sincere nobis dilectum Bernhardum Brethwicium, Capitaneum Barensen etc., qui suam nobis in hac re operam ultro et saepius quidem obtulit, huic rei maxime idoneum iudicavi-

mus. Verum illud e diverso consideramus: Cum is vir siet, qui inclyto Poloniae Regno, multos iam annos excubando ad fines, contra crebras et perpetuas quodammodo hostium incursiones non mediocriter profuit, quique mores et consuetudines eorum hostium novit, quod hercle plurimum referre putamus

- e) *in ms. succisivo (in conc. succisivo)*.

1) *Ioannes Fridericus*.

N. 2757.

*E Regio Monte, 28.VII.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,  
de parato eius animo cum aliquot equis sibi serviendi gaudet; rogat, ut hac de  
re cum Ioanne Tarnowski consilia ineat.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLIX, N. 504.*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 294v-295v.*

N. 2758.

*E Regio Monte, 30.VII.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de causa Hermensdorffiana.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, NN. 327, 330, 331.*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 149-158 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 296-302).*

N. 2759.

*E Regio Monte, 6.VIII.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,  
in negotio equites in exteris regionibus conducendi consilium eius exposcit et  
rogat, ut, castellani Posnaniensis [Andreae a Górka] adiuncta opera, effi-  
ciat, quo, si iterum principes et electores Imperii auxilium a se postulent,  
mille equites levis armaturae consequi possit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 159-161 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 303v-  
304v).*

N. 2760.

*E Regio Monte, 7.VIII.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
pro Christophoro Cramer (vel Cromer), cive Elbingensi.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 163-165 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 306-  
306v).*

N. 2761.

E Regio Monte, 7.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
negotium Petri Schmitner, municipis Regiomontani, (de frumento ex Lithuania et Samogitia exportando) commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 161-162.

N. 2762.

E Regio Monte, 7.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Alberto Wolski*

*pro benevolentia consiliario suo, Ioanni Rauther, exhibita gratias agit; ab  
instituto suo equites in locis remotis colligendi se nunc cessare nuntiat.*

(Sub textu: Mutatis mutandis Ioanni Hernik).

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, f. 158 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, f. 305v).

N. 2763.

E Regio Monte, 7.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Valeriano, regis Poloniae iunioris secretario,  
Petrum Schmitner commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, f. 162.

N. 2764.

E Regio Monte, 7.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Bogussio Korecki, capitaneo Żytomiriensi,  
pro voluntate eius adducendi sibi, necessitate postulante, aliquot equites gra-  
tias agit.*

(Latine)

(Adest conc Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, f. 163.

N. 2765.

E Regio Monte, 7.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Tarnowski et (mutatis mutandis) Andreae a Gôrka  
pro Francisco a Rechenberg, adolescente, alicuius facinoris contra regem  
Poloniae seniore[m] reo, a consanguineis eius sibi commendato.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 946, 949.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 165-166.*

N. 2766.

E Regio Monte, 8.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Bernardo Pretwicz, capitaneo Barensi,  
in equitatum suum eum se suscipere nuntiat et rogat, ut de conditionibus ser-  
vitii cum Ioanne Rauther, consiliario suo, conveniat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 285v-286.*

N. 2767.

E Regio Monte, s.d.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro Francisco a Rechenberg.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 166-168 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 306v-  
307v).*

N. 2768.

E Regio Monte, s.d.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
a Valeriano Rokitnicki, subdito regio, rogatus, fratrem eius Georgium Rokit-  
nicki, in castellanatu Trocensi degentem, a vicinis suis inique vexatum,  
commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 168.*

N. 2769.

E Regio Monte, 10.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
palatino Vlnensi [Ioanni Hlebowicz]  
pro subdito quodam suo, districtus Tilsensis incola, cui in Samogitia, in  
oppido Taurogi, res omnes ibidem coemptae ablatae sunt.  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, f. 169.*

N. 2770.

E Regio Monte, 14.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Andreae a Górka, castellano Posnaniensi,  
ab electoribus et principibus Imperii rogatus, ut eis "ad defensionem doctri-  
nae evangelicae" opem et auxilium praestaret, rogat, ut eorum, de quibus  
cum Caspare Kaczkowski recens collocutus erat, compos fieri et postula-  
tum ab electoribus equitum numerum suppeditare eis possit.  
(Latine)  
Cfr. El. XXXVII, NN. 944, 948, 949.  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, f. 170.*

N. 2771.

E Regio Monte, 14.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Caspari Kaczkowski  
de equitibus sibi in Polonia conscribendis.  
(Latine)  
Cfr. El. XXXVII, NN. 944, 948.  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, f. 171.*

N. 2772.

E Regio Monte, 14.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,  
rogat, ut negotium Petri Schmitner (de exportando frumento) regi iuniori com-  
mendet.  
(Germanice)  
Cfr. El. XLIII, N. 37.  
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 304v-305.*

N. 2773.

E Regio Monte, 16.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
palatino Vilnensi [Ioanni Hlebowicz]  
de die terminandis finibus a rege constituto et de commissariis utriusque par-  
tis designandis.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 172-173.

N. 2774.

E Regio Monte, 17.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
de commissariis regundorum finium a se deputatis: Andrea Rippen, capitaneo  
Caymensi, Andrea a Wilmansdorff et Christophoro Jona, iuris utriusque  
doctore, 8.IX. in loco Prejwiszki cum commissariis regis conventuris.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 319.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 174-175.

N. 2775.

E Regio Monte, 17.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
pro opera in constituendo lustrandis et terminandis finibus die apud regem  
interposita gratias agit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 175-176.

N. 2776.

E Regio Monte, 17.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,  
litteras electoris Saxoniae [Ioannis Friderici] et landgravii Hassiae [Philippi],  
quibus se de suspicione inoboedientiae erga imperatorem purgare conan-  
tur, mittit et rogat, ut, si ei ita videbitur, eas regi legendas porrigat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, f. 308.



N. 2777.

E Regio Monte, 23.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*de insolitis vectigalibus, in Lithuania et Samogitia a bobus, pecoribus, frumento institutis, queritur et rogat, ut eiusmodi vectigalium exactio abrogetur.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 326.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 180-181 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 308-309v).*

N. 2778.

E Regio Monte, 24.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*pro facultate servitoribus suis Friderico ab Oelsnitz, curiae suae marscalco, et Erhardo Heckelman, secretario suo, concessa, ut sine ulla telonei exactione aliquot lastas salis transportare possent, gratias agit; de telonei Caunensis praefectis, qui hac facultate sprete telonea exegerunt, queritur.*

*(Sub textu: Mutatis mutandis Regi Poloniae iuniori, Lutheniski [Ioanni Lutomirski] Latine, Gabrieli Tarlau, Caspar[i] Lubener Deutzsch).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 181-182 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 309v-310).*

N. 2779.

E Regio Monte, 24.VIII.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Caspari Lubener, teloneatori Caunensi,*

*Fridericum ab Oelsnitz, aulae suae marscalcum, et Erhardum Heckel, servitorem suum, commendat et rogat, ut aliquot lastas salis sine telonei solutione per aquam in Lithuaniam transvehere possint.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 181-182.*

N. 2780.

E Regio Monte, 2.IX.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*N. Lasocki, capitaneo in Diebau (Dybowo),*

*nomine eius a Caspare Kaczkowski rogatus, ut ei oculorum medicum mitteret,*  
*Rupertum Göckel, medicum suum, mittit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 310v-311.*

N. 2781.

Cleipodiae, s.d.IX.1546.

*Ernestus a Rechenberg, capitaneus Cleipodiensis (Memelensis),*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*rogat, ut boves, pecora, frumentum, ad sustentationem arcis Cleipodiensis*  
*necessaria, sibi in Lithuania et Samogitia coemere et inde libere educere*  
*liceat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 177-178 (et Germ., Ostpr. Fol., vol.44, ff. 315-316).*

N. 2782.

Rosacken, 8.IX.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*de commissariis suis ad 14.IX. ad negotium regundorum finium componen-*  
*dum, in locum Prejwizski (Prusswissky) missis.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 319 (annexum).*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K.1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 183-184 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 313-*  
*313v).*

N. 2783.

S.l., 12.IX.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,*

*fabrum, a rege iuniore postulatum, mittit.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLIII, N.39.*

*Ostpr. Fol., vol. 44, f. 311v.*

N. 2784.

*Spychowo (Poppen), 13.IX.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarlo, vexillifero Sandomiriensi,  
novitates, ex Germania a mercatoribus sibi allatas ideoque minus certas, regi  
significandas mittit; post nuntii sui illinc reditum certiora nova scribere  
promittit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 314v-315.*

N. 2785.

*E Regio Monte, 14.IX.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Andree a Górká, castellano Posnaniensi,  
pro Francisco Kemerer, cive Gedanensi, ut a Luca Roseck, cive Posnaniensi,  
debitore suo, debitam sibi pecuniam consequi possit.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 178-180 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 312-  
312v).*

N. 2786.

*E Regio Monte, 25.IX.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
palatino Plocensi [Felici Srzeński]  
exsecutionem sententiae contra Cherubinum Kosmaczewski latae capitaneo  
suo Neidenburgensi se mandasse nuntiat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K.1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 184-185 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, f. 318v).*

N. 2787.

*E Regio Monte, 4.X.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
de negotio viduae Hermensdorff.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 325, 327, 330, 331.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 187-191.*

N. 2788.

E Regio Monte, 4.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*negotium hereditarium Michaelis Działyński, generi Ioannis Sokółowski, pala-*  
*tini Pomeraniae et capitanei Graudentini recens defuncti, commendat.*  
(Latine)  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 185-187.

N. 2789.

E Regio Monte, 5.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Samueli Maciejowski, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario, et (mutatis*  
*mutandis) Stanislao Hosio*  
*viduam Hermensdorff commendat.*  
(Latine)  
Cfr. El. XXXVII, NN. 954, 955.  
(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).  
Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 191-192.

N. 2790.

E Regio Monte, 7.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Christophoro Konarski*  
*debitam ei 20 talerorum summam mittit et nova ex Hungaria sibi scribi iubet.*  
(Germanice)  
Cfr. El. XXXVII, N. 953.  
Ostpr. Fol., vol. 44, f. 320v.

N. 2791.

E Regio Monte, s.d.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Ioanni Kuntz, civi Posnaniensi,*  
*90 grossos Polonicos, quos in transmittendis litteris ducis expendisse se scri-*  
*bit, necnon 7 florenos, pro advehendis vinis persolutos, ei mittit.*  
(Germanice)  
Cfr. El. XLV, N. 57.  
Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 321-321v.

N. 2792.

*E Regio Monte, 16.X.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario, et (mutatis  
mutandis) Stanislao Hosio  
iterum pro relicta Hermensdorff vidua.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 954, 955.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 192-193.*

N. 2793.

*E Regio Monte, 17.X.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
subditorum suorum: Bartholomaei Voigt, Iacobi Keuther et Valentini Palkein,  
heredum demortui Georgii Ludikein, negotium, appellatione ad regem  
devolutum, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 196-197.*

N. 2794.

*E Regio Monte, 18.X.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Ioannem Seclucianum, subditum ac servitorem suum, negotiorum suorum  
causa in Regnum Poloniae iter facientem, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 198.*

N. 2795.

*E Regio Monte, 18.X.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Petro Firlej de Dąbrowica, palatino Russiae,  
Ioannem Seclucianum, "concionatorem ac ministrum verbi divini", in  
Regnum Poloniae proficiscentem, commendat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 958.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 199.*

N. 2796.

E Regio Monte, 18.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Ioanni Tarnowski, castellano Cracoviensi, R.P. exercituum capitaneo,*  
*viduam Hermensdorff commendat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXVII, N. 956.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 194-196 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 319-320v).

N. 2797.

E Regio Monte, 24.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,*  
*pro Ioanne Blum, cive Gedanensi, causam cum aliquot Iudaeis in oppido Bre-*  
*sta habente.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 321v-322.

N. 2798.

E Regio Monte, 26.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*commendat negotium Ioannis Blum, civis Gedanensis.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 200-201.

N. 2799.

E Regio Monte, 26.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*pro quodam Heintz, ut ei bona quaedam concedere dignetur.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 203-204.

N. 2800.

E Regio Monte, 26.X.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco, et Ioanni Hlebowicz, palatino Vilhensi, pro Ioanne Blum, cive Gedanensi.*

(*Sub textu: Mutatis mutandis scriptum est: Domino Wirsula [Gregorio Gregorii Ościk], S.R. Iunioris Curiae Magistro [Petro Zborowski], Domino Decano, Domino Mathiae Regis Secretario, Domino Valerio Secretario, Domino Petro Arschekofsky [Arciechowski] Referendario, Domino Tharlo, Domino Fabiano Czema etc.*)

(*Latine*)

(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168*).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 201-203 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 321v-322).*

N. 2801.

E Regio Monte, 1.XI.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori de negotio finium inter Lithuaniae et Prussiae Ducatus regundorum.*

(*Latine*)

*Cfr. El. XXX, N. 334.*

(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168*).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 204-206 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 325-326).*

N. 2802.

E Regio Monte, 2.XI.1546.

*Albertus dux in Prussia*

*Petro Zborowski, regis iunioris curiae magistro, cognatum eius Stanislaum, adolescentem in studiis negligentius versantem, remittit et rogat, ut eum severius hortetur, quo maiore diligentia in bonas artes incumbat.*

(*Latine*)

*Cfr. El. XXXVII, NN. 962, 963, 966.*

(*Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168*).

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 206-207.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*iustificacionem, id est peccatorum remissionem et salutem aeternam, per solam fidem, non per bona opera, fieri demonstrat ac regem hortatur, ut eiusmodi doctrinam amplectatur.*

*Cfr. El. XXX, N. 341.*

*Ostpr. Fol., Heiml.Reg., vol. 80, ff. 634-639.*

Regi Poloniae Seniori, XX Novembris XLVI.

Serenissime Rex, Domine clementissime et Avuncule charissime.

Cum ex debita subiectione et fide Sacrae Regiae Vestrae Maiestati non tantum in momentaneis et caducis huius saeculi bonis, verum etiam in iis, quae ad coelestia et spiritualia spectare videntur, quantum illud ingenii mei mediocritate et captu assequor, bene et fideliter consultum debeam, non attento eo, quod sciam S.R.V. Maiestatem pro regia et divinitus eidem concessa prudentia, etiam citra meum instinctum, in investigando aeterno bono non minus, quam quae mundi sunt, plurimum et sedulo incumbere nihilque de ea desiderari, indubitanter confidens S.R.V. Maiestatem, impulsivis huius mei instituti causis clementer consideratis, eas non nisi magnas et tanquam coactas habituram hancque meam fidem clementi animo accepturam, reputo mecum humanum genus in id, ut moriatur, nasci, absoluto aerumnoso huius vitae curriculo, temporali morti stipendio peccati satisfacere, deinde divina favente gratia ingredi et ad aeterna vocari gaudia. Constat enim neminem mortalium in hac humanae imbecillitatis miseria maiores minusque perditioni obnoxios, quam qui sacris fundati literis et ad aeternae vitae consortium idonei, thesauros cumulare posse. Cum autem S.R.V. Maiestas hoc vitae suae curriculum, largiente Dei Optimi Maximi gratia, ad iustam plurimumque deprecandam aetatem perduxerit et, ut humano more loquar, eidem, quae quosvis homines fato urgente manet, sit via lethi calcanda, nihilque S.R.V. Maiestati porro certius quam suprema et salutaris migrandi ex hac vita calummosa quotidie reputanda dies et hora restet, ad quam procul dubio S.R.V. Maiestatem ita divinitus instructam scio, ut Redemptori suo animam cum salute offerre parata sit, committere non potui, quin pro debita mea fide et subiectione, in quo vera salus sita sit, quaque ego cordis affectione et fide erga aeternum Patrem, Salvatorem et Redemptorem meum ferar, S.R.V. Maiestati pressius et melius illa consideranti <sup>a)</sup> subiectissime nota facerem. Sicut nos, christiani, in et super mortem Domini nostri Iesu Christi baptisati sumus, ut dicit Apostolus Rom. VI: Ipse enim Christus traditus est in mortem propter peccata nostra, ut scilicet nos ab eis liberaret. Nam Dominus omnium nostrum <sup>b)</sup> peccata in ipsum reiecit, sicut Esaias LIII testatur. Et idem Christus resurrexit propter iustitiam nostram, eodem Apostolo Paulo Rom. III teste, ut scilicet ipse Christus nos coram Deo iustos et sanctos efficeret. Ita quoque in fide tantae gratiae, quam ipse sua passione ac morte nobis meruit, perseverare debemus usque in finem huius mortalis vitae. Et nullo alio modo, quam fiducia seu fide huius nominis Iesu Christi remissionem peccatorum, iustitiam, quae coram Deo valet, reconciliationemque cum ipso Deo et vitam aeternam quaerere debemus. Quia non est in aliquo



alio salus aeterna, de qua sanctus Petrus Apostolus Acto. VIII loquitur: Non est benedictio coelestis illa et divina, quae Gen. XXII Abrahae promittitur, in quoquam alio nisi in illo benedicto semine Abrahae, qui est Christus Iesus, exponente Apostolo Paulo Gala. III: Christus namque nos redemit de maledicto legis, quod lex minatur transgressoribus. Factus pro nobis maledictum, ut in gentes benedictio Abrahae promissa veniret per Christum Iesum, ut promissionem Spiritus per fidem acciperemus. Donum enim Spiritus et libertatem a peccato, comminatione legis, ab ira Dei adversus peccatum, a morte, maledictione, inferno et condemnatione aeterna nullis nostris aut aliorum operibus sive meritis accipimus, nec ullo alio modo quam per fidem in Christum. Nam ea sola apprehendit promissionem benedictionis et gratiae aeternae, et verbum Evangelii de remissione peccatorum et salute aeterna, sicut Paulus perspicue dicit, ut promissionem Spiritus non per opera, sed per fidem acciperemus.

Sunt quidem opera bona in Decalogo nobis a Deo praecepta, quae facere debemus et nullatenus negligere, sed non eo fine, ut per haec iustitiam coram Deo et remissionem peccatorum quaeramus. Fieri enim debent opera illa a Deo praecepta, et credentes in Christum ea facere tenemur, non ad iustitiam coram Deo impetrandam aut remissionem peccatorum seu reconciliationem consequendam, sed ut sint signa praesentis Spiritus Sancti et fructus fidei, et ad testimonium gratitudinis et ad agendas gratias Deo pro immenso et ineffabili liberationis beneficio, nobis per Christum exhibito. Sic et Paulus Gal. III clare dicit: Omnes estis filii Dei per fidem seu fiduciam, quae est in Christo Iesu, non dicit: estis filii Dei, quia fecistis haec et alia bona opera, sed ait: in fide seu ex fide, quae est in Christum Iesum. Nostra enim bona opera aut merita non faciunt nos iustos coram Deo, neque filios Dei, sed fides in Christum Iesum efficit nos filios Dei, sicut Evangelista Ioannes I testatur: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Eis, inquit, sed quibus? Credentibus seu his, qui credunt in nomen eius. Nec enim aliud nomen datum est hominibus, quo oporteat nos salvos fieri. Nam ipse est agnus ille Dei tollens peccata mundi, ideoque iustificavit et acceptos nos fecit Deus in dilecto filio suo, in laudem gratiae seu misericordiae suae, sicut ad Ephe. I dicit Apostolus. Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata - sic 2 Cor. V Paulus docet. Atque ita reconciliavit nos sibi Deus per Christum pro nobis passum et pro peccatis nostris mortuum, sicque sanctificati sumus, ut ad Heb. X cap. scribitur, per oblationem corporis Iesu Christi semel, ut tam ineffabilis beneficii et reconciliationis, quae per amaram filii Dei unigeniti passionem et innocentissimi immaculatique agni mortem facta est semel, semper memores gratique essemus. Ipse enim ex hoc mundo abiturus ad Patrem in ultima coena sacrosancti corporis pretiosique sanguinis sui testamentum instituit, dicens: Accipite et comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite (scilicet edite) in mei commemorationem. Item dedit illis calicem, dicens: Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur, nempe pro credentibus et credituris in remissionem peccatorum etc.

Quandoquidem iam S.R. Vestra Maiestas testimonio sacrarum literarum fundamentum fidei christianae, et in quo vera salus consistat, breviter cognoverit, oro, obtestor, obsecro, proque debita mea fide S.R. Vestrae Maiestati fideliter consulo, dignetur vera divini verbi interpretatione, cuius veritas elucet casibusque fortunae interituris minime obnoxia est, edoceri, illi soli fidere plenumque hunc gratiae thesaurum fovere et, pro regia excellentis ingenii prudentia, magis ac magis eundem evolvere pressiusque secum expendere. Quo fiet, ut eximium illud gratiae donum S.R. Vestra

Maiestas reddat multo auctius et sibi concreditam animam Patri aeterno cum faenore statuto die offerat, aeternique Regni et coelestis gaudii reddat participem. Ad cuius instituti pleniorum perfectionem S.R. Vestrae Maiestati afflatum Spiritus Sancti ex intimis cordis et animi mei medullis, sine ulla intermissione, opto et precor, minime dubitans, cum aeterni Patris Filius, iustitia et redemptio nostra, se preces nostras exauditurum promiserit, eundem S.V. Regiam Maiestatem ad omnem veritatis cognitionem ducturum ac in pio hoc coepto servatam ad nominis sui gloriam perseveranter firmaturum, iterum atque iterum vehementer petens, S.R. Vestra Maiestas dignetur fidem hanc meam, quae me ut haec scriberem potissimum impulit, clementer excusatam habere, meque S.R. Vestrae Maiestati etiam atque etiam commendatum esse regiaque, qua hactenus consuevit, clementia prosequi. His S.R. Vestram Maiestatem protectioni Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui S.R. Vestram Maiestatem in multos adhuc annos ad nominis sui gloriam predicandam et latius amplificandam, ad pacem, tranquillitatem et salutare Reipublicae incrementum, debita subiectione, ardentissimis animi mei votis, hoc omnique tempore commendo. Datae ex Regio Monte, ut supra.

S.R. Vestrae Maiestatis  
subditus Princeps Albertus etc.

- a) *in ms.* considerandi
- b) *in ms.* nostrorum

N. 2804.

*E Regio Monte, 20.XI.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
pro scripto suo in causa "verae religionis" (Cfr. N. praec.) ad regem seniore  
dato, cuius exemplar ei quoque mittit.*

*Cfr. El. XXX, NN. 336, 341.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 207-209.*

Regi Poloniae Iuniori, XX Novembris.

Mittit Regiae Maiestati copiam literarum, quas ad Seniore Regem scripsit, petens, ad regium iudicium illa prius revocet.

Serenissime Rex, Domine et Consobrine Clementissime.

Non dubium mihi est, quin Sacra Regia Maiestas Vestra in memoria recenti habeat, quae superiori tempore cum eadem de ratione statuque Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae Senioris, Domini mei clementissimi et avunculi charissimi, contulerim, quidque dictante et urgente conscientia mea de vera christiana religione, qua omnibus modis Sacram Regiam Maiestatem Suam imbutam cuperem, in medium attulerim. Ex adverso autem, quae mihi tum temporis Sacra Regia Maiestas Vestra clementer iniungere, utque in proposito perseverarem, hortari dignata est, ea non modo memoria firmiter adhuc teneo, verum etiam pro fide et subiectione mea debita diligentia exequi sum conatus. Nam cum intelligam mihi Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae consiliis et monitis acquiescendum

eademque lege obstrictum, ut quae ad Sacrae Maiestatis Regiae Senioris etc. commodum, utilitatem, salutem, corporis et animae bona foelicitatem-que pertinere cognoscam, diligenter ac fideliter pro viribus curare debeam, facere non potui, quin meam sedulitatem, debita servitia ac voluntatem bene merendi promptissimam in hac re ostenderem. Itaque hoc scriptum, cuius copiam hisce literis inserui, ad Sacram Regiam Maiestatem Suam destinavi. Quod ideo Sacrae Regiae Maiestati Vestrae mittendum videbatur, ut ea et legeret prius, et quid sibi placeant, haec omnia pro summa sua prudentia et perspicacia iudicaret. Quod si perlectis his atque probatis consultum Sacrae Regiae Maiestati Vestrae videbitur, ut hoc modo, illa etiam forma, quae mihi quidem aptissima visa est, et revera christianae religionis meaeque fidei indubitata sententia est, Sacrae Regiae Maiestati Suae transmittatur, non inutile fore existimo, ut Sacra Regia Maiestas Vestra id negotii Nobili ac Generoso, sincere mihi dilecto Domino Gabrieli Tharla (quo cum nuper admodum hac ipsa de re locutus sum quique hoc legationis haud gravate visus est suscipere) clementer iniungat, ita tamen, ut illud ipsum scriptum Sacrae Regiae Maiestati Suae in praesentia Magnifici Domini Supremi Regni Cancellarii, <sup>1)</sup> cui hoc etiam nomine scribendum curavi, <sup>2)</sup> ut a) ex eius epistolae copia patebit b), offerat. Non dubitans utrunque pro suo ingenio, prudentia et dexteritate id daturum operam, ut Sacra Regia Maiestas Sua verum et nativum huius scripti mei sensum, qui ex ipsa rei veritate erutus est, percipiat. Quod ut fiat, Sacrae Regiae Maiestati Suae Spiritus Sancti donum et afflatum numinis ex corde intimo precor. Et si quod porro eidem in hoc ipso religionis et animae salvandae negotio pro mea mediocritate servire aut commodare potero, ad id me et corpore et animo promptissimum offero. Caeterum Sacram Regiam Maiestatem Vestram, cui debita etiam mea et parata servitia omni tempore oblata delataque volo, Deo Optimo Maximo diu salvam, incolumem, florentem et foelicem conservandam commendo. Datae ex Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.  
Constantinus.

a)-b) *in margine.*

1) *Thomas Sobocki.*

2) *Cfr. N. 2805.*

*N. 2805.*

*E Regio Monte, 20.XI.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Thomae Sobocki, R.P. cancellario,*

*litteras, ad regem seniore, "non in saecularibus saltem et in civilibus, verum etiam in spiritualibus et ad animae beatitudinem spectantibus rebus" scriptas (Cfr. N. 2803), transmittit et rogat, ut eas regi offerat et exponat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 971.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 210-211 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 327-327v).*

N. 2806.

E Regio Monte, 20.XI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
oblata facultate nuntii, quem ad regem iuniorem mittit, eum salutatur et novi-  
tates sibi perscribi petit.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 211-212.

N. 2807.

E Regio Monte, 20.XI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Gabrieli Tarto, vexillifero Sandomiriensi,  
exemplum litterarum, ad regem seniore scriptarum, regi iuniori tradendum  
mittit et rogatur, ut originales litteras, praesente cancellario, regi seniori por-  
rigat; si regi iuniori secus videretur, easdem litteras sibi remitti iubet.*

(Schedula: novitates recens acceptas regi iuniori tradendas mittit).

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 42.

Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 327v-328v.

N. 2808.

Siekierka (Heiligenbeil), 23.XI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
Conradum Lanckaw (Lauckaw), civem Regiomontanum, in negotiis eius mer-  
catoriis in Lithuania habitis commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 213-214.

N. 2809.

E Regio Monte (sic), 23.XI.1546.

*Albertus dux in Prussia  
capitaneo Samogitiae [Georgio Bielewicz]  
Conradum Lanckaw (Lauckaw) commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, f. 214.

N. 2810.

*Pasték (Hollandt), 26.XI.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Samueli Maciejowski, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario, de scripto suo, ad regem seniore[m] recens dato, nuntiat et rogat, ut res in eo contentas regi commendet.*

*(Sub textu: Mutatis mutandis Comiti in Tarnaw).*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 215.*

N. 2811.

*Olsztynek (Hohenstein), 30.XI.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo I regi Poloniae*

*rogat, ut rex denuo mediatorem se praestet inter imperatorem et principes Germaniae protestantes.*

*Cfr. El. XXX, N. 338.*

*(Adest etiam textus Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 330-336).*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 218-229.*

Regi Poloniae Seniori, XXX Novembris.

Petit, ut se denuo mediatorem inter Sacram Romanorum Imperatoriam Maiestatem et protestantes interponat.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Illustrissimus Princeps patruelis ac frater mihi charissimus, Dominus Ioachimus Marchio Brandenburgensis, Sacri Romani Imperii Elector, proximis hisce diebus inter caetera significandum mihi curavit, qualiter Magnificus ac Generosus, sincere mihi dilectus Dominus Achacius Czema, Palatinus Marienburgensis, ex castris Sacrae Caesariae Romanorum Maiestatis <sup>1)</sup> nuper admodum rediens, ad Illustrissimam Celsitudinem Suam Berolini diverterit. Ex quo intellexerit profectionem istam, quam Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae mandato dictus Palatinus suscepisset, hac vice prorsus inanem inutilemque fuisse. Quae res Illustrissimae Suae Celsitudinis animum magno dolore perculisset gravique maerore affecisset, praesertim dum hac tempestate miserae et afflictae Reipublicae Christianae statum consideraret, tum ob oculos sibi ponens Sacrae Imperatoriae Maiestatis praeclaras laudes, quibus prae caeteris uti pacificus, christianus et inclytus Caesar hactenus enituit, tum Serenissimae Regiae Maiestatis Romanorum <sup>2)</sup> conditionem eiusdemque Regnorum Hungariae ac Bohemiae terrarumque haereditariarum pericula, gravamina, incursiones ac infestationes hostiles ad animum revocans, ac denique totius inclytae nationis Germanicae interitum, ruinam et devastationem miserandam expendens. Nam Illustrissima Celsitudo Sua post foelicem et tranquillum statum communis Reipublicae Christianae nihil prius esse ducit, neque melius aut conducibilium, quam ut Sacra Maiestas Imperatoria pro evitan-

dis plurimis incommodis partas suas laudes integras conservare iisque gaudere possit. Nec minus Vestrae quoque Sacrae Regiae Maiestati Illustrissima Sua Celsitudo eum honorem, famam et gloriam libenter atque ex animo favisset, si quo pacto gravia haec atque exitiosa bella dirimere, pacem et concordiam missione isthac constituere potuisset. Uti quidem Sacra Regia Maiestas Vestra (Christo sit gratia) hac ipsa legatione proxima, quemadmodum mihi scriptum est, non mediocrem laudem apud omnis generis homines meruit, quae me hercle multorum mentibus adeo infixam haeret, ut prorsus immortalis sit futura, ita sane quod Sacra Regia Maiestas Vestra hanc ipsam missionem, licet infrugiferam, magni tamen aestimare debeat.

Postquam autem Illustrissima Sua Celsitudo Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae animum regium, excellentem, generosum ac pacis amantem cognoscit, eidemque ex propinqua et arcta sanguinis coniunctione iam dictum honorem libentissime non modo favet, verum etiam ut is indies augeatur ac crescat, omnibus viribus promovere adnititur, itaque, licet haec proxima legatio Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae sine fructu redierit nihilque admodum effecerit, tamen Illustrissima Celsitudo Sua nullo modo consultum putat, ut Sacra Regia Maiestas Vestra hanc ob causam porro sollicitare et pacis media quaerere desinat. Quin imo hoc ipsa suadet, ut Sacra Regia Maiestas Vestra in suo illo regio, laudabili, pio ac christiano incepto et opere perseveret. Cuius rei consiliique Illustrissima Sua Celsitudo multas evidentes, necessarias, graves et ingeniosas excogitatas rationes habet, quas omnes enumerare ordine (ne Sacram Regiam Maiestatem Vestram taedio et molestia obruam) supervacaneum existimo. Haec autem eius petitionis summa est, quod Illustrissima Sua Celsitudo (quamvis eadem hoc negotii dicto Palatino Marienburgensi Sacrae Regiae Maiestati Vestrae referendum commiserit) etiam atque etiam a me contendit, ut apud Sacram Regiam Maiestatem Vestram fideliter, subdite et amice instare idque navare operam velim, ne inceptum illud negotium imperfectum relinquat. Quin imo Sacra Regia Maiestas Vestra clementer secum expendere dignetur, quam tetrum hoc, quam exitiale et cruentum bellum sit, quantaque christiani sanguinis profusio inde oritura. Ex adverso vero, quod tandem haec dissidia aliquando componi oporteat. Quod si nunc Sacra Regia Maiestas Vestra causam hanc semel inceptam deserat, diligenter expendat secum, ne a quibusdam obiiciatur hoc perniciosissimum bellum facile suum finem sortiri tantamque stragem evitare potuisse. Si Sacra Regia Maiestas Vestra, uti et aetate hoc tempore gravissimus et neutri factioni adhaerens, porro se illis rebus sua autoritate interposuisset, quibus cavillationibus Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae crescens fama et gloria hinc <sup>a)</sup> nonnihil obscurior reddetur, quapropter Illustrissima Celsitudo Sua illud in medium consulit, ut Sacra Regia Maiestas Vestra suis scriptis ad Serenissimum Romanorum Regem, huic rei aptis, compositis et idoneis, insuperque christianis, evidentibus ac probabilibus rationibus (quibus ad Sacram Imperatoriam Maiestatem maxima cum laude prudenter usa est) amice velit intercedere eamque hortari et monere, ut Sacra Regia Maiestas Sua communis Reipublicae Christianae, itemque suorum Regnorum Hungarici ac Bohemici, et eorunquem subditorum populorumque statum et conditionem considerare iuxtaque expendere dignetur, quales hinc voces seu vociferationes potius oriturae sint.

Quis enim dubitat a pluribus dictum iri, Sacram Regiam Maiestatem Suam delectari his discordiis ac bellorum tumultibus? Quibus traductionibus famosis obviam ut eatur, Sacra Regia Maiestas Sua diversum ostendat idque apud Sacram Imperatoriam Maiestatem, Dominum et fratrem suum,

laboret, si induciae atque arbitrariae transactiones obtineri, tandemque gravissima bella componi et negotium totum <sup>b)</sup> terminari queat. Quod si induciae obtentae ac Sacrae Regiae Maiestati Vestrae ea res significata fuerit, velle eandem suos legatos ad dirimendam controversiam mittere spemque in Deo collocare, eosque illa media quaesituros, ut supradicta omnia evitentur. Simili modo Illustrissima Celsitudo Sua necessarium iudicat, ut Sacra Regia Maiestas Vestra ad Sacram Caesaream Maiestatem Romanorum, itemque ad Electores, Principes et alios status scribat pro impetrandis induciis et obtinenda transactione arbitraria et amica incumbat, idoneis ad hoc argumentis et refutatione necessaria, quod proxime id ipsum denegarint, utendo, et pro responso irremisse cum praesente nuntio dando sollicitet. Quod cum a partibus impetratum admissumque fuerit et Sacrae Regiae Maiestati Vestrae consultum visum, paratam se Illustrissima Celsitudo Sua offert propria in persona, una cum legatis Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae, ad Sacram Imperatoriam Maiestatem aliosque Electores et Principes in ipsa castra, aut quocumque opus fuerit, profecturam omniaque media, vias et rationes quaesituram, quae ad componendum grave istud et perniciosum negotium prodesse possunt, ut isti tandem furores bellici et exitiosi tumultus Germanicae nationis ac totius propemodum Europae tolerabilibus mediis et conditionibus compescantur et componantur.

Haec Illustrissimae Celsitudinis Suae, patruelis ac fratris mihi charissimi, postulatio ac petitio, qua christiane et honestissime sese ad hanc rem ultro offerre dignata est, me movit, ut Sacrae Regiae Maiestati Vestrae hoc tempore scriberem. Allegatae enim caussae et rationes tanti apud me sunt ponderis adeoque evidentes, ut nullo modo eas improbare aut contrarium quid adferre possim. Quin etiam deliberanti mihi ac pro mea mediocritate pressius rem consideranti, plures adhuc rationes occurrunt. Quae Sacram Regiam Maiestatem Vestram ad inceptum opus persequendum et ad sollicitandum pro pace stabilienda iure movere <sup>c)</sup> debent. Habet proch Deum immortalem (nequeo enim sine recordatione recordari), habet inquam Sacra Regia Maiestas Vestra vicinos Turcas, habet Tartaros et Valachos, qui quales hostes sint, nemini est obscurum. Uno hercle animo, eodem etiam modo omnes, uti infideles latrones, aversi a nostris moribus et sacris, animati sunt erga Sacram Regiam Maiestatem Vestram atque in totam Christianitatem, idque dant operam obnixae, ut quacumque occasione apprehensa universam Rempublicam Christianam bellis opprimere et iugo suo subiicere queant.

Porro Sacra Imperatoria Maiestas in isthac expeditione sua milites ex Hispaniis, Italia, Germania tum Inferiore, tum etiam Superiore, magno numero secum ducit atque, ut ipse ex Palatino Marienburgensi inter caetera intellexi, sunt isti homines selectissimi et bellorum expertissimi, ut merito eas dictarum nationum robur et vires appellare liceat. Similiter Electores ac Principes maximam partem exquisitissimae ac praestantissimae nobilitatis fortissimorum virorum, bellis exercitibusque ductandis assuetorum, penes se habent, ut recte ac vere scribi possit habere eos ex parte utraque cor propemodum et robur universi Hispanici, Italici ac Germanici populi, ad pugnam proeliumque capessendum parati. Quod si forte nunc Sacra Caesarea Maiestas in pugnam dimicatura procedat, quod quidem ne fiat, Deus suppliciter rogandus, atque haud facile sperandum est confore, quoniam Sacra Caesarea Maiestas eius hactenus sanguinis christiani sitibunda non fuit. Et tamen, quia alter <sup>d)</sup> alteri occasionem gerendae rei praebet, fieri potest, ut in aciem utrinque descendatur. Quo facto, anceps nihilominus atque in dubio adhuc victoria est. Ea autem contingat

cui velit, cuique successum Omnipotens clementer largitus fuerit. Tamen sine maximo detrimento, sine strage et sanguine communis Reipublicae Christianae, praesertim eorum hominum, qui vicini sunt infidelibus religionis hostibus et afflictae Hungariae, fieri non potest, quoniam fortissimi quique et exercitatissimi haud dubie in acie occumbent. Et sic Christiana Respublica ipsis privabitur. Quod dum fit, non dubium est omnibus infidelibus viam patefieri ac fenestram, ut sic dicam, aperiri, qua tuto et securo in Regna Serenissimae Regiae Romanorum Maiestatis, praesertim in Hungariam aliasque hereditarias Suae Maiestatis provincias atque etiam forte (quod Deus omen obruat) in Regnum ditionesque Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae excursiones faciant easque missis exercitibus perturbent. Quorum conatibus hoc difficiliter resistere quis poterit, quo magis exercitatus militibus destituatur. Ibi tum demum apparebit, et quidem maximo cum incommodo omnium Regnorum ac terrarum palam fiet, hasce bellicas expeditiones, tumultus et intestinum hoc quasi bellum toti Reipublicae Christianae summe perniciose fuisse, ut me hercle indignum sit non esse aliquem christianum et pacificum Regem, qui se his sedandis sopiendisque bellis et tumultibus interponat. Et quamquam Sacra Regia Maiestas Vestra Deo favente venerandam et gravescentem aetatem attigit, quae indes ad exitum vitae terminumque spectare videtur (quam tamen Christus Optimus Maximus pro divina sua clementia et voluntate longis temporibus extrahere ac animam tandem suo tempore, ubi visum fuerit, ad perpetuam beatitudinem recipere dignetur), ut haec fortasse sua causa non magnificenda ducat, tamen Sacra Regia Maiestas Vestra filii sui unici et charissimi, Domini mei clementissimi, rationes, statum ac conditionem considerare habet. Qui etsi virtutibus magno Rege dignis excellit ac praeter caeteris Regibus et Principibus divinis dotibus abunde cumulatus est, attamen verendum, ne Regia Sua Maiestas necessitatis tempore (quod Deus avertat) parum solacii et auxilii, nisi nunc inceptum opus de pace conficiendi prosequi pergatur, expectare queat, obstante etiam eo, quod Regia Maiestas Sua apud reliquos Reges, Electores et Principes propter aetatem adhuc iuvenilem tanta fortasse in aestimatione, qua nunc Sacra Regia Maiestas Vestra constituta, non esse potest. Quae omnia Sacra Regia Maiestas Vestra ista laudabili et christiana pacis constituendae tractatione cavere, commodiori ratione transigere sibi et filio charissimo omnibus modis consulere potest.

Vidi insuper scriptum, quod Electores ac Principes protestantes, ut vocant, pro sui defensione publice edendum typisque excudendum curant. Quo clare scribitur, quoniam Caesarea Maiestas hoc agit, ut ipsos tanquam rebelles et qui contra reputationem Suae Maiestatis admiserint, puniat. De quo quidem admissio iuste et legitime iuxta Aureae Bullae aliarumque constitutionum exigentiam accusati, nedum convicti essent, itaque sese (excepta religione) coram omnibus non factiosis christianis potentatibus, Electoribus, Principibus ac Imperii statibus, insuperque coram universa natione Germanica et omnibus bonis honestatemque amantibus viris, ad reddendas facti sui legitimas rationes offerre. Haec si Caesarea Maiestas, ut aequa et iusta sunt, non acceptet, videat, an hoc obiici iure sibi possit, Maiestatem Suam Caesaream magis inclementia, quam necessitate motam suscepisse, Electores autem et Principes ad legitimam et necessariam defensionem compulsos. Nec minus hoc grave dolendumque, neminem in tota Christianitate inveniri, qui huius causae iudex non factiosus esse ac tantam stragem sanguinisque profusionem avertere possit.

Quapropter Sacram Regiam Maiestatem Vestram subiectissime oro, ea



dignetur patruelis mei charissimi, Electoris Brandenburgensis, ac mea haec exiguas consultationes clementer et amice suscipere sicque plane statuere, me ad haec facienda scribendaque et hortante Sua Illustrissima Celitudine, exigente Christiana Republica meaque fide erga Sacram Regiam Maiestatem Vestram flagitante, compulsus. Tum autem Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae charissimus filius, Regna et provinciae eiusdem, amor item meus et affectio erga Romanum Imperium, quod mihi patria est, cuius commoda promoveri, pacem et tranquillitatem constitui summe cupio, compulere. Iterum atque iterum obnixè orans precibusque omnibus per Deum petens, ea dignetur primo quoque tempore suum quandam cubicularium cum literis superioris argumenti ad Sacras Caesaream et Regiam Romanorum Maiestates, necnon ad Electores, Principes et status protestantes ablegare, qui summis viribus operam navet ac instet, quo tandem induciae fiant, amicae et arbitrariae transactiones obtineantur, bella cruenta totique Reipublicae Christianae perniciosissima sopiantur et restinguantur, tandem vero Sacra Regia Maiestas Vestra suos legatos, necessariis informationibus et mandatis instructos, ableget, qui totum porro negotium componere omnemque controversiam terminare studeant. Quo facto Sacra Regia Maiestas Vestra, Deo favente, immortalem laudem, gloriam et aeternum sibi nomen apud omnes christianos pepererit, suaque et filii Regna ditionesque non mediocriter (quemadmodum talibus in transactionibus varia incidunt) stabilierit.

Quod si autem (quod Deus omen auferat) obtineri conficique nihil possit, uti non spero, tamen illud ab omnibus et singulis dictum iri certum est, Sacram Regiam Maiestatem Vestram, tanquam pacis amantissimum Regem, nullis neque laboribus, neque impensis in hac caussa pepercisse. Si quoque Regiae Maiestati Vestrae visum fuerit aliquos praeterea ex Regum, Electorum aut Principum numero (praesertim Daniae Regem<sup>3</sup>), qui omnis factionis expers hactenus fuit) sibi meoque patrueli, Electori Brandenburgensi<sup>4</sup>, huic negotio perficiendo adiungendi, id Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae arbitrio relinquo. Illud saltem et hortor et moneo, ne mora longa, quae plerumque, uti Sacra Regia Maiestas Vestra novit, perniciosa esse consuevit, interponatur, quin imo ut gaudiis et furori in tempore occurratur.

Haec omnia Sacrae Regiae Maiestati Vestrae ex sincero animo, fide, amore et singulari affectione motus, inprimis autem ad patruelis mei charissimi instantiam scribere sum adductus, subiectissime et amice petens, Sacra Regia Maiestas Vestra clementer a me acceptare, pericula considerare atque haec omnia ad suam ipsius ac regiae suae domus gloriam, laudem et immortalem celebritatem promovere dignetur. Id Deus Optimus Maximus, qui divino amore pacificos prosequitur, Sacrae Regiae Maiestati Vestrae eiusdemque successoribus largiter ac cumulate remunerabit, et ego quibusvis subditis officiisque erga Sacram Regiam Maiestatem [Vestram] (quam Omnipotenti incolumem, salvam et foelicem conservandam commendo) promerebor. Datae Hohenstein.

Commissio Principis ex relatione Cancellarii.  
Constantinus.

Cedula

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Paratis iam et confectis literis, quoniam antea pro mea mediocritate indicatum negotium pacis componendae, tum Sacrae Regiae Maiestatis Iunioris etc. caussa, tum pro stabiliendo Regno dicionibusque Sacrae

Regiae Maiestatis Vestrae pacificandis, nequaquam intermittendum, illud mihi extremo in mentem venit, sit-ne consultum et utile, ut Sacra Regia Maiestas Vestra una cum Rege Iunior, filio suo charissimo, apud Sacras Caesaream et Regiam Romanorum Maiestates, itemque Electores et Principes, id negotii simul et separatim, per literas primum, tum per legatos agat et expediat. Quippe Regia Sua Maiestas hac ratione non notitiam modo maiorem et amicitiam amplioem consequetur, sed etiam animos hominum devinctiores sibi reddet, habebitque occasionem et paratam quasi viam, ingruentibus quibuscumque periculis (quae Deus clementer avertere dignetur), opem, auxilium et solatium ab ipsis quaerendi, poscendi et expectandi. Ego tamen hanc meam opinionem et sententiam Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae regio et excellentissimo iudicio relinquo. Quam ideo saltem indicare libuit, ut Sacra Regia Maiestas Vestra fidelitatem meam cognoscat atque his rebus porro animum intendat. Sacram Regiam Maiestatem Vestram iterum Christo Optimo Maximo commendo. Datum, ut supra in literis.

- a) *in ms. huic*
- b) *in ms. tocius*
- c) *in ms. monere*
- d) *in ms. aliter*
- 1) *Carolus V.*
- 2) *Ferdinandus I.*
- 3) *Christianus III.*
- 4) *Ioachimus II.*

N. 2812.

*Olsztynek (Hohenstein), 30.XI.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Cracoviensi, et (mutatis mutandis) Ioanni  
Tarnowski, castellano Cracoviensi,  
ad litteras eius, quibus fratrem, Nicolaum Maciejowski, commendabat,  
respondet.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, NN. 959, 960.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 216-218.*

N. 2813.

*Pasłęk (Hollandt), 5.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo I regi Poloniae  
Valerianum Rokitnicki. vexilliferum Dobrinensem, commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168, cum exemplo litterarum Valeriani  
Rokitnicki ad ducem).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 230.*

N. 2814.

E Regio Monte, 13.XII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori  
rogat, ut apud regem seniore[m] instare velit, quo se iterum mediatorem  
sopiendi in Germania belli (scil. inter imperatorem et principes ac status  
evangelicos) interponat.*

(Latine)

Cfr. El. XXX, N. 338.

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 231-232 (et Germ., Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 336v-337).

N. 2815.

E Regio Monte, 13.XII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Ioanni Hlebowicz, palatino Vilmensi, M.D.L. cancellario nominato,  
ei, post mortem Alberti Gasztołd ad munus cancellarii evecto, ob novae digni-  
tatis accessionem gratulatur et negotium limitum commendat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 232-233.

N. 2816.

E Regio Monte, 13.XII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Nicolao Radziwiłł, M.D.L. marscalco,  
pro litteris gratias agit; rogat, ut negotium regundorum finium promovere stu-  
deat.*

(Latine)

(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).

Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 233-234.

N. 2817.

E Regio Monte, 13.XII.1546.

*Albertus dux in Prussia  
Petro Zborowski, curiae regiae magistro,  
edoceri cupit, utrum consanguineus eius, sibi commendatus, coeptis studiis  
diutius inhaerere, an aulicis solum officiis operam dare debeat; pro novi-  
tatibus sibi significatis gratias agit.*

(Latine)

Cfr. *El. XXXVII*, N. 966.  
(*Adest conc. Lat.*, HBA, B, K. 1168).  
*Ostpr. Fol.*, vol. 53, ff. 234-235.

N. 2818.

*E Regio Monte*, 14.XII.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*  
*Ioannem Buchner, scribam olim Ragnetensem, commendat.*  
(*Latine*)  
(*Adest conc. Lat.*, HBA, B, K. 1168).  
*Ostpr. Fol.*, vol. 53, ff. 235-236.

N. 2819.

*E Regio Monte*, 15.XII.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Andreae a Gôrka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo,*  
*servitorem suum, ad Fridericum duces Legnicensem cum litteris et negotiis*  
*suis a se ablegatum, commendat et rogat, ut ei pro itinere celerius confi-*  
*ciendo equum recentem dare velit.*  
(*Schedula: novitates de bello in Germania sibi scribi petit.*)  
(*Latine*)  
(*Adest conc. Lat.*, HBA, B, K. 1168).  
*Ostpr. Fol.*, vol. 53, ff. 237-238.

N. 2820.

*E Regio Monte*, s.d.XII.1546.

*Albertus dux in Prussia*  
*Thomae Sobocki, R.P. cancellario,*  
*litteras suas 21.(20.)XI.1546 ad eum datas, una cum scripto ad regem senio-*  
*rem exarato, ob casum quendam tabellarii sibi remissas esse nuntiat,*  
*easdem per alium tabellarium iterum mittit et se excusat, quod tardius*  
*perventurae sint.*  
(*Latine*)  
Cfr. *El. XXXVII*, N. 971.  
(*Adest conc. Lat.*, HBA, B, K. 1168).  
*Ostpr. Fol.*, vol. 53, f. 238.

N. 2821.

*E Regio Monte, 18.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Samueli Maciejowski, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario,  
de regis senioris valetudine et de die ac loco futurorum Regni Comitiorum cer-  
tior fieri desiderat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXVII, N. 970.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 239-240.*

N. 2822.

*E Regio Monte, 20.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia  
Stanislao Kieżgajło, M.D.L. dapifero,  
Laurentium [Discordiam], concionatorem, sibi ab eo commendatum, in Li-  
thuaniam remittit, quamquam libenter eum diutius apud se detenturus  
esset.*

*Iam ed. Th. Wotschke, Abraham Culvensis, Beil. XXVII, p. 194.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 240-241.*

Stanislao Kiesgall, XX Decembris.

Scribit se concionatoris commendationem clementer accepisse.

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, sincere nobis dilecte.

Accepimus Magnificentiae Vestrae literas, per concionatorem eiusdem, Dominum Laurentium, nobis redditas. Quibus ille de meliore nota commendatur nobis. Quod quidem supervacaneum reputavimus. Illud enim persuasum sibi Magnificentia Vestra habeat, nos non modo verbi Dei ministros et praecones singulari voluntate et clementia complecti, verum etiam omnes bonarum literarum studiosos nobis esse commendatissimos. Erasmus igitur ipsum Laurentium, si commodum ei fuisset ac integrum, diutius hic retenturi, nisi Magnificentia Vestra, ut ipsum istuc remitteremus, petiisset. Et quoniam intelligimus eum in Magno Ducatu Lithuaniae hoc praesertim Nataliciorum Christi tempore non mediocriter, nec a paucis desiderari, nolimus ei, quominus ad suam vocationem redire tempori possit, impedimento esse, praesertim cum posthac saepius ad nos sit commeaturus. Id quod Magnificentiae Vestrae (quam Christo diu conservandam committimus) responsi loco remittere visum fuit. Datae ex Regio Monte, ut supra.

Commissio Principis propria  
Constantinus S.

N. 2823.

*E Regio Monte, 22.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Fabiano Czema, succamerario Marienburgensi,  
rogat, ut pro servitore suo, Clemente Rode, apud regem iunio-  
rem intercedat, quo in Lithuania et Samogitia frumentum coemere et inde exportare pos-  
sit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 337-337v.*

N. 2824.

*E Regio Monte, 22.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Bernardo Pohibel*

*rogat, ut una cum Fabiano Czema causam subditi sui, Clementis Rode, pro-  
moveant.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, ff. 337v-338.*

N. 2825.

*E Regio Monte, 23.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*Clementem Roth (vel Rath, Rode), servitorem suum, aliquot tonnas saliginis,  
tritici et hordei coemere cupientem, commendat.*

*Cfr. El. XXX, N. 342.*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 241-242.*

N. 2826.

*E Regio Monte, 23.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*

*Clementem Roth (Rode) commendat.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, f. 242.*

N. 2827.

*E Regio Monte, 29.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*capitaneo in Simmo*

*de lacu Dwistitz (sic) a capitaneo suo Insterburgensi mensurando.*

*(Latine)*

*(Adest conc. Lat., HBA, B, K. 1168).*

*Ostpr. Fol., vol. 53, ff. 243-244.*

N. 2828.

*[E Regio Monte], 31.XII.1546.*

*Albertus dux in Prussia*

*Bernardo Pohibel*

*novitates, a mercatoribus sibi allatas, mittit et rogat, ut eas regi iuniori significari curet.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 44, f. 338.*





ELENCHUS EPISTULARUM

Nr.			Dat.
ALBERTUS DUX IN PRUSSIA:			
2481	Sigismundo I regi Poloniae	E Regio Monte	1.I.1545
2483	»	»	2.I.1545
2484	»	»	2.I.1545
2488	»	»	3.I.1545
2502	»	»	24.II.1545
2525	»	»	8.IV.1545
2551	»	»	20.V.1545
2558	»	Neuhausen	6.VI.1545
2570	»	E Regio Monte	27.VI.1545
2571	»	»	27.VI.1545
2572	»	»	27.VI.1545
2593	»	»	3.VIII.1545
2608	»	»	28.VIII.1545
2615	»	»	10.IX.1545
2631	»	»	20.IX.1545
2634	»	»	20.IX.1545
2642	»	Posnaniae	4.X.1545
2658	»	Hallae	28.XI.1545
2664	»	Międzyrzecz	22.XII.1545
2667	»	Riesenburgi	3.I.1546
2672	»	E Regio Monte	12.I.1946
2675	»	»	20.I.1546
2677	»	»	22.I.1546
2683	»	»	27.I.1546
2693	»	»	7.II.1546
2694	»	»	10.II.1546
2699	»	»	28.II.1546
2707	»	»	10.IV.1546
2709	»	»	13.IV.1546
2711	»	»	18.IV.1546
2712	»	»	19.IV.1546
2715	»	»	20.IV.1546
2724	»	»	21.V.1546
2740	»	»	20.VI.1546
2749	»	»	25.VII.1546
2750	»	»	25.VII.1546
2751	»	»	25.VII.1546
2758	»	»	30.VII.1546
2760	»	»	3.VIII.1546
2787	»	»	4.X.1546
2803	»	»	20.XI.1546
2811	»	Olsztynek	30.XI.1546
2813	»	Pasłęk	5.XII.1546

Nr.			Dat.
2500	Sigismundo Augusto, regi Poloniae iuniori	E Regio Monte	10.II.1545
2508	»	»	21.III.1545
2511	»	»	22.III.1545
2514	»	Tilsae	26.III.1545
2516	»	E Regio Monte	1.IV.1545
2532	»	» »	16.IV.1545
2534	»	» »	17.IV.1545
2538	»	» »	23.IV.1545
2552	»	» »	20.V.1545
2555	»	» »	3.VI.1545
2564	»	» »	22.VI.1545
2579	»	» »	28.VI.1545
2588	»	» »	28.VIII.1545
2594	»	» »	3.VIII.1545
2598	»	Neuhausen	10.VIII.1545
2600	»	E Regio Monte	17.VIII.1545
2601	»	» »	17.VIII.1545
2614	»	» »	9.IX.1545
2616	»	» »	10.IX.1545
2625	»	» »	14.IX.1545
2626	»	» »	16.IX.1545
2627	»	» »	18.IX.1545
2632	»	» »	20.IX.1545
2635	»	» »	21.IX.1545
2639	»	Riesenburgi	25.IX.1545
2643	»	Posnanie	4.X.1545
2659	»	Hallae	29.XI.1545
2668	»	Riesenburgi	3.I.1546
2671	»	E Regio Monte	s.d., post 11.I.1546
2673	»	» »	18.I.1546
2678	»	» »	23.I.1546
2681	»	» »	26.I.1546
2689	»	» »	5.II.1546
2695	»	» »	18.II.1546
2705	»	» »	18.III.1546
2706	»	» »	30.III.1546
2720	»	Vilnae	20.V.1546
2725	»	»	21.V.1546
2728	»	Caunae	23.V.1546
2729	»	»	23.V.1546
2736	»	E Regio Monte	19.VI.1546
2742	»	» »	2.VII.1546
2745	»	» »	19.VII.1546
2746	»	» »	19.VII.1546
2761	»	» »	7.VIII.1546
2767	»	» »	s.d., VIII.1546
2768	»	» »	s.d., VIII.1546
2774	»	» »	17.VIII.1546
2774	»	» »	23.VIII.1546

Nr.			Dat.
2778	Sigismundo Augusto, regi Poloniae iuniori	E Regio Monte	24.VIII.1546
2782	»	Rosacken	8.IX.1546
